





Widener Library
3 2044 092 545 979

(— 1867)


Harvard College
Library
VE RI
TAS
FROM THE BEQUEST OF
SUSAN GREENE DEXTER







ANNALES


ACADEMICI.

CIↃIↃCCCLXVI—CIↃIↃCCCLXVII.

LUGDUNI-BATAVORUM,

EX TYPOGRAPHEO I. C. DRABBE. | PROSTAT APUD E. I. BRILL.

1871.



19

Quae hoc Annalium volumine continentur, haec sunt:

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA.

ACADEMIA GRONINGANA.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.

ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. IX FEBR. A. CIƆIƆCCCLXVI AD D. VIII FEBR. A. CIƆIƆCCCLXVII

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

IOHANNES IACOBUS PRINS.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

IOHANNES CHRISTIANUS GOTTLOB EVERS.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

I. I. PRINS.
W. A. VAN HENGEL, rude donatus.
I. H. SCHOLTEN.
A. KUENEN.
L. G. E. RAUWENHOFF.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I. VAN DER HOEVEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.
G. I. VERDAM, fato functus d. 29 Oct.
F. KAISER.
P. L. RYKE.
W. F. R. SURINGAR.
D. BIERENS DE HAAN, Prof. extraord.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. M. SCHRANT, rude donatus, fato functus d. 5 April.
A. RUTGERS.

I. H. STUFFKEN.
C. G. COBET.
R. P. A. DOZY.
M. DE VRIES.
R. FRUIN.
W. G. PLUYGERS.
H. KERN.
M. I. DE GOEJE, Prof. extr., qui d. 6 Oct. munus auspicatus est.

IN FACULTATE MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN, rude donatus.
G. C. B. SURINGAR.
F. G. KRIEGER.
A. E. SIMON THOMAS.
I. C. G. EVERS.
A. HEYNSIUS, qui die 7 Martis munus auspicatus est.
I. A. BOOGAARD, Prof. extr., qui d. 21 Martis munus auspicatus est.
T. ZAAIJER, Prof. extr., qui d. 10 Martis munus auspicatus est.

IN FACULTATE IURIDICA.

H. COCK, rude donatus, fato functus d. 20 Oct.
I. DE WAL.
S. VISSERING.
R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE.
I. E. GOUDSMIT.
I. T. BUIJS.

I. I. P. HOFFMANN, titulo Prof. ornatus.
P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extraord. ornatus.
P. DE JONG, titulo Prof. ornatus, Lector Litt. Pers. et Turc. et Interpres Legati Warneriani.

C. A. X. G. F. SICHERER, Lector Litt. Germ.
F. VAN CALKER, in Museo physico Adiutor, cui successit
L. ARONSTEIN, " " " ".
C. C. I. TEERLINK, in Museo chymico Adiutor.
N. M. KAM, Observ. astron.
A. VAN HENNEKELER, Observ. astron. alter.

ORATIO

DE

SCHOLA ET ECCLESIA,

IN RE CHRISTIANA ARCTE CONIUNCTIS NEC UNQUAM DISIUNGENDIS,

QUAM HABUIT

IOHANNES IACOBUS PRINS,
THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

DIE VIII FEBRUARII CIↃIↃCCCLXVII,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

ACCEDIT ENARRATIO EORUM, QUAE ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE ANNO CIↃIↃCCCLXVI—CIↃIↃCCCLXVII TRISTIA ET LAETA ACCIDERUNT.

AUDITORES HUMANISSIMI, EXOPTATISSIMI!

Rediit, favente Deo, dies festus, quo Academiae nostrae natales laeti concelebramus. Anno autem superiori decessorem meum aestumatissimum, quum fasces poneret, egregie dixisse de decreto Regio, quo huius saeculi anno decimo quinto in integrum restituta est Academia omnisque instaurata Academica institutio, quis est inter Vos, qui non meminerit? Laudavit ore facundo illius decreti liberalitatem institutionisque Academicae libertatem, nullis fere finibus circumscriptam, nullo non praeconio extollendam. Sic nobis in mentem revocavit ipsa, quae legislator secutus est in rebus Academicis ordinandis, principia, atque neminem facile optare pronuntiavit, ut nova lex, mox condenda, aliis quam hisce nitatur principiis. Adsentiebantur omnes, ni fallor, rei periti; nec sane erat, quod ego dissentirem aut in elegantissima illa oratione quidquam desiderarem. Vel sic tamen unum hodie dictis addere liceat, idque, me iudice, gravissimum, quod si tacerem, nae ego officio meo deëssem. Nimirum post laudatam libertatem hoc maximopere sperandum esse autumo, fore ut unicuique disciplinae, in cyclum Academicum olim receptae, locus suus constet honosque permaneat. Ea enim est omnium illarum artium liberalium, quae ad humanitatem pertinent, mutua necessitudo atque ita omnes quasi cognatione quadam continentur, ut cunctae sibi invicem egregie prosint unaque avulsa ceterae tabescant. Quid? quod ipsa fert Universitatum, quae dicuntur, ratio et indoles, ut cognitionis humanae, utut amplissimae, nulla pars prorsus negligatur. De Theologia igitur quomodocunque statuat lex ferenda, eam ab Academia rite ordinata abesse non posse unusquisque facile intelligit. Quod ne a me dictum putetis invita ecclesia! Haec enim sua si bona norit, aut ego fallor egregie, aut nihil habet, quod magis exoptet, quam

ut in ipsa hac Academiae luce in posterum quoque futuri instituantur ac formentur sacrorum antistites. Nec tamen esse etiamnum, qui aliter statuant, equidem ignoro. Dimittendam esse Theologiam clamitant et ex auditoriis nostris quantocius pellendam sibique solam relinquendam, imo in seminaria relegandam ecclesiaeque auctoritati subiiciendam; sic demum rempublicam inter et ecclesiam rite distingui, alteram ab altera tandem separari ipsiusque ecclesiae saluti bene consuli. Quorum ego vocibus permotus, iam hoc mihi agendum esse arbitror, ut, ceteris, quae ad gravissimam hanc quaestionem pertineant, missis, coram Vobis id unum paucis demonstrem, *in re christiana scholam et ecclesiam arcte esse coniunctas nec unquam disiungendas.*

Hoc autem argumentum tractaturo, Vos mihi, Auditores humanissimi! auribus linguisque favete!

In tanto Eruditorum consessu vix est, quod diserte moneam, me iam non agere de quaestione, hisce diebus diu multumque agitata, oporteatne inferioris ordinis scholam, in qua pueri a ludimagistris instituuntur, cum ecclesia quodammodo cohaerere aut ex ea pendere. Scholam equidem intelligo superiorem, Academicam vulgo dictam, ac praesertim studia illa mihi volo theologica, quibus omnis de Deo rebusque divinis doctrina, latissimo sensu sumta, rite excolitur eodem fere modo, quo iurisprudentia et medicina et reliquae omnes hic traduntur disciplinae altiores. Hanc autem institutionem Academicam cum ecclesia arcte esse coniunctam, id igitur mihi demonstrandum sumsi. Statim vero audire mihi videor, qui obiiciant, haec duo toto coelo differre, neque ullam esse posse inter ea arctiorem necessitudinem. Ruunt — ita illi — in contraria omnia: libera est schola, ecclesia vero suis alligata formulis, semel constitutis; quaerit schola veritatem, de ea vero reperta et extra omnem dubitationis aleam posita gloriatur ecclesia; terrestria schola petit ac reipublicae commoda curat, ecclesia vero bona sectatur coelestia et, spretis rebus mundanis, ad vitam praeparat post mortem futuram. Audio, nec perturbor. Talia enim si de ecclesia sua, Romano-catholica scilicet, Belgae vicini palam ac publice

praedicare solent, me certe non habent valde refragantem; sed ecclesiae Reformatae, quae inter nostrates Protestantium, qui dicuntur, sequitur principia, longe alia ratio est. Vel sic tamen et hic bene distinguendum esse, ut bene doceamur, lubens ego profiteor. Multum revera interest scholam inter et ecclesiam, et prosunt utrique, qui diligenter cavent, ne coalescant in unum. Habet utraque quod sibi privum est, et diversis reguntur principiis, et aliud illa, aliud haec persequitur. Rectissime monent, quaerere scholam id unice quod verum est, illudque a falso verique specie sedulo distinguere sibique vindicare. Observando, perscrutando, meditando in omnium inquirit rerum naturam internamque rationem, ut intelligatur, unde et quid sint, quibus e causis ortae, quomodo inter se connexae, quorsum tendant. Hominem schola excolit, quatenus intelligentia et ratione praeditus est, eumque per varias cognitionis humanae partes eo tandem perducere conatur, ut supra vulgum sapiat et intelligentior sensim doctiorque fiat et ad angustos uniuscuiusque scientiae cancellos promovendos indies aptior. Quod de disciplina theologica haud minus valet quam de quavis alia. Est enim Theologia revera disciplina, proprie sic dicta, quae suis ipsa viribus nititur, suis e principiis pendet, suas in partes dividitur atque ad certam definitamque normam ab omnibus excolitur germanis theologis. Inquirit haec in religionem, et in religionem quidem, quam profitemur, christianam, quippe verissimam, eamque e fontibus eruere studet et probe intelligere, accurate describere suoque pretio aestumare, porro vim eius salutarem explorare eamque quantumpote conformare ad uniuscuiusque aetatis, gentis generisque usum. Tam historica est Theologia quam exegetica, tam practica quam dogmatica, multasque sibi in auxilium vocat cognatas disciplinas, inprimis historicas, literarias, philosophas. Longe vero alia sectatur ecclesia, institutum illud his in terris divinum, ab ipso Christo non conditum, fateor, sed ex eius opere sponte ortum eiusque spiritu vere divino animatum, quo vita in hominibus religiosa et moralis, ad Ipsius sanctissimum exemplum summamque Dei voluntatem, excolitur, a peccati sordibus purgatur, ad omne bonum ac coeleste componitur et consummatur. Varia ei praesto sunt, quibus utitur, subsidia et adminicula, ut veram religionem alat ac tueatur eiusque vim efficacem promoveat, et omne genus humanum, sibi commissum, per Dei communionem ad summam

evehat èt perfectionem moralem èt vero etiam beatitudinem. Verbo dicam, veritatem quaerit omnis schola, et summam quidem veritatem ethico-religiosam theologica; ecclesia vero, pro instituti ratione, id agit potissimum, ut optimae religionis vi vitam hominum reddat vere vitalem et salutem iis impertiat, etiam post mortem duraturam. Proinde non nisi intelligentioribus Theologia destinata est, ut quaevis alia disciplina Academica; ecclesia vero omnibus patet, quibuscunque tandem hominibus, doctis indoctis, senibus iunioribus, divitibus egenis, laetis afflictis, omnibus, quippe religionis capacibus eaque non sine gravi damno carentibus. Hinc autem necessario sequitur, haud magis alteram alterius esse posse ancillam et pedissequam, quam dominam atque reginam. Quod tamen ut neminem lateat, paulo enucleatius exponendum videtur. Magna enim in his opinionum praeiudicatarum vis est et pertinacia.

Et schola quidem vere ecclesiastica, id est cui ecclesia tanquam falli nescia imperat tramitemque, quem sequatur, praescribit, haec igitur cogitando fingi potest, in lucem vero prodire et fructus ferre, me iudice, non potest. Omnis necessario perit veri nominis indagatio ac perscrutatio rerum divinarum, simul atque lege antea constitutum est, quis et qualis esse debeat illius indagationis exitus. Ad normam regulae fidei exculta Theologia aut nulla est, aut, si ulla, nullius tamen pretii. Testor theologos communi nomine scholasticos dictos, qui medio aevo floruerunt per tria quatuorve saecula. Hi enim labore incredibili desudarunt in doctrina ecclesiastica philosophiae Aristotelicae ope, i. e. argumentis dialecticis a priori ductis, intelligenda, tuenda, comprobanda. Nemo sane infitias ibit, aedificia eos exstruxisse magnifica, ab aequalibus summis laudibus celebrata, quae et nos, spectatum admissi, admiramur. Sed in subtilitatibus, quas necterent, nugisque, quas proferrent, magnos illos viros operam et oleum perdidisse, una omnium vox est. Nihil quidquam effecerunt, aut, si quam vim habuerint, quod non negaverim, in rudi hominum ingenio excolendo, vereor tamen, ne disputationibus de nominalismo, qui dicitur, et realismo omnem religionis sensum in eorum animis suffocassent, nisi mystica aliorum ratio, animo ad bonorum finem, Deum Christumque, extollendo, laboranti succurrisset ecclesiae, quam deinde sanarunt Reformatores. Similiter post

sacra saeculo decimo sexto instaurata si quaeris, quî tandem factum sit, ut rem christianam, quam magni facerent, tam parum saepe promoverint viri ceteroquin doctissimi, sagacissimi, laboris patientissimi, suis nunquam defraudandi laudibus, qui Theologiae operam navarent eamque in Academiis nostris docerent, respondeo, in ecclesiae auctoritate, cui subessent, et clericorum anathemate, quod reformidarent, praecipuam causam esse quaerendam. Quid plura, Auditores? Fieri prorsus nequit, ut fructus ferat Theologia, nisi libere exculta. Tum demum, quum sui iuris facta est, quod ad finem vergente saeculo decimo octavo factum esse novimus, alas suas laeta expandere coepit et altiora petere facemque accensam ecclesiae christianae praeferre, imo in intimos veritatis divinae recessus ita penetrare, ut nova lux exoriretur tandem densaeque dispergerentur multorum saeculorum tenebrae. Talis nostra disciplina est, ut sine hac, quâ hodie fruimur, libertate vivere ac florere nequeat, nedum fructus ferre, quibus prosit ecclesiae. Aut libera sit, aut ne sit: ita rectissime ante duos fere annos in oratione rectorali collega meus quondam Roterodamensis, nunc Traiectinus.

Eundem, quod laetor, mihi-habebo consentientem, ubi dixero, haud magis quam scholae ecclesiasticae locum esse posse ecclesiae, ut ita dicam, scholasticae, i. e. ecclesiae, cui schola imperat, adeo ut tota quanta e Theologia pendeat et, Proteo mutabilior, se continuo conformet ad omnes, quas subeat mutationes Theologia, libere exculta, qualescunque tandem. Natura sua firmum quid ac stabile est ecclesia. Talem vero, quam dixi, vobis fingite ecclesiam, theologorum altercationibus ac rixis misere dilaceratam, venti veluti flatibus nunc huc iactatam nunc illuc, labefactatam, propediem fere dirutam, aut lenta tabe tandem absumtam! Cogitate, quaeso, templa publica in auditoria Academica transformata, orationes sacras in doctas et subtiles disputationes depravatas, pios Dei cultores in duros et iniquos iudices permutatos, confessionem, quam omnes teneant, christianam in systematis theologici formam redactam, miseros ecclesiae socios ita educatos et instructos, ut docti sint aut saltem esse videantur theologi, illudque: „Odi profanum vulgus et arceo," in omnium ore! Num eiusmodi turpe quid ac deforme veri nominis ecclesiam dixeris, et ecclesiam quidem christianam? Non putaverim equidem. Nec tamen esse nego in Protestantium, qui dicuntur, coetibus nonnihil, quod eo tendat

ac ferre possit. Tempora, eheu! recordamur, ab isto rerum statu parum aliena, quum dogmatismus acerrimus principatum teneret in ecclesia. Sed idem affirmo, tempora illa fuisse rei christianae promovendae iniqua, languisse illo aevo et summopere aegrotasse ecclesiam, quin ipsam religionem coelestem pene omnem foras aufugisse et in ecclesiolis exulasse, ubi coram Deo fautore matris carissimae ruinam lugeret ac deploraret. Faxit D. O. M., ut eiusmodi nunquam redeat regimen mere dogmaticum seque a Theologiae commutationibus ac subversionibus, quantum fieri possit, immunem praestet Reformata ecclesia!

Sunt ergo — ita forsitan quis dicta colligat — te iudice, ne scilicet schola fiat ecclesiastica aut scholastica ecclesia, a se invicem prorsus separandae ecclesia et schola. Longissime absit, Auditores! ut tale quid mente volvam aut moliri videar. Imo vero easdem in re christiana arcte esse coniunctas et coniungendas, coram Vobis me affirmare meministis. Hoc autem probaturo, ante omnia Scylla mihi commonstranda erat et opposita Charybdis. Utrâque iam prudenter evitatâ, videndum nobis est, an etiam sine schola stare possit ac florere ecclesia aut sine ecclesia schola vere theologica. Quod utrumque ita, opinor, negandum est, ut clara in luce ponatur contrarium. Sic demum, aliorum naufragio meliora admoniti, per medios scopulos mox procurremus in aequor aut, si mavis, tutum subibimus veritatis portum.

Sine schola ecclesiam christianam stare non posse, nedum florere, id igitur in confesso est. Vitam ecclesia fovet, ut vidimus, ethico-religiosam eamque e Christo ortam et spiritu eius repletam; sed haec vita talis est, ut veritatis divinae luce indigeat et virtute sustentetur. Naturae suae vi insitâ omnem respuit errorem atque id agit, ut de Deo rebusque divinis vere sentiat. Fides quaerit intellectum. Non potest non homo religiosus, siquidem, ut quivis alius, intelligentia et ratione pollet, sensus suos ac studia intimamque, qua gaudet, animi persuasionem verbis prodere, describere, comprobare. Ipsam, quam magni facit, religionem christianam

Christumque Servatorem, e quo haec originem duxit, qualis est, probe intelligere studet aliisque commendare. Iam quod de unoquoque homine valet vere religioso, id summo iure ad ecclesiam christianam transfertur, quippe quae talibus constat hominibus. Ab ecclesiae primordiis inde hoc intelligendi studium omnibus fuit commune. Non coeco quodam impetu ferebantur iudaei atque gentiles ad religionem christianam amplectendam, sed animo deliberato et re bene cognita. Nec substiterunt in ea amplectenda et profitenda, sed aetate iam apostolica ac deinceps *γνῶσιν* quamdam sibi compararunt intelligentiores, mancam, fateor, et imperfectam, sed e fide ortam et huic confirmandae et purgandae non prorsus ineptam. Quod quis est, qui mirabitur? Per brevissimum enim tempus, quod his in terris transegit, Iesus ipse veram religionem non tantum docuit et verbis factisque explicuit vitamque vere divinam cum hominibus communicavit, sed ita agendo veritatem quoque coelestem patefecit seque ipse, apud Ioannem, *τὴν ἀλήθειαν* dixit non minus atque *τὴν ζωήν*. Deum nobis tanquam adspectabilem reddidit et de Eius erga homines amore ita nos certiores fecit, ut nihil non a Patre coelesti sperare liceat. Quid? quod, quum in eo esset, ut hinc migraret, ad Patrem reversurus, discipulis suis spiritum promisit divinum, optimum sui vicarium, quo ad omnem veritatem ethico-religiosam bene intelligendam magis magisque ducerentur. Hoc autem ducti spiritu, ita prodierunt apostoli, ut de religionis christianae, quam praedicarent, veritate aliis persuaderent hominibus et sedulum S. Scripturae, de Christo testantis, usum omnibus commendarent. Inter eos nemo Paulum superavit, per Gamalielis institutionem ad meliora studia bene praeparatum. Hic autem qualis esset quantâque polleret non pietate tantum animique constantia, sed sollertia etiam, explorandi sagacitate ac virtute dialectica, scripta abunde testantur. Intelligi volebat ab auditoribus eorumque assensu comprobari. *Ὡς φρονίμοις λέγω*, ita ille, *κρίνατε ὑμεῖς ὅ φημι. Πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε*, et sic plura. Exstitit, fateor, iam illa aetate, et multo magis haud diu post, falsa quaedam sive *ψευδώνυμος γνῶσις* et *κενοφωνία*, arcanorum cupida, nugarum ferax, vanis speculationibus dedita, futilis ac ventosa, quam iure suo impugnabat ille. At vel sic tamen non destitit a pia ac verecunda rerum divinarum perscrutatione. A Deo enim sibi datum esse gaudebat

spiritum non mundanum, sed vere divinum, quo pernoscamus, aït, quae in nos contulit beneficia gratuita. Mentis oculos eodem hoc collustrari voluit sapientiae et veritatis spiritu, ut suam aliorumque rerum divinarum intelligentiam promoveret et divini amoris, in Christo conspicui, amplitudinem sibi exploratam haberet. Ita ad extremum usque spiritum summus Apostolus, omnium in ecclesia christiana Theologiae doctorum antesignanus. A cuius mente non alienum fuisse institutum illud philosophum, quod, auctore Pantaeno, saeculo secundo in coetu Alexandrino exstitit, facile iam intelligitis. Scholam dico catecheticam, in qua, saeculo tertio, omnibus applaudentibus, docuit Origenes, Adamantius dictus, liberalis vir ingenii, admirabilis industriae, doctrinae vere stupendae et talis omnino, ut maximam in ecclesiam Orientalem vim exercuerit. Praecesserant alii, inter quos Clemens, secuti sunt plures, ipsius vestigiis insistentes, nemo superavit. Quum vero allegoricae librorum sacrorum interpretationi nimis illi indulgerent, exorta est in Syria, saeculo quarto, schola Antiochena, quae grammatico-historicam interpretandi rationem strenue propugnaret. Laudantur ex eius doctoribus et alumnis uterque Theodorus, inprimis Mopsuestenus, Iohannes Chrysostomus, Theodoretus. Nescio tamen, an non nominis sui celebritate palmam iis praeripuerit in Occidente Augustinus, vir doctissimus, dialecticus haud minus quam practicus, in cunctis Theologiae partibus versatissimus, cuius tanta fuit in ecclesia auctoritas, ut haec per multa deinceps saecula eo magistro gloriaretur et in eius placita ac verba iuraret. Magnam igitur antiquitus fuisse Theologiae, libere excultae, vim et usum in ecclesia, non est, quod pluribus demonstrem. Ea vero postea neglecta, languescentem videmus suaque vi nativa privatam ecclesiam, quae, quo alienior sensim a Theologiae studiis, eo magis superstitiosa facta est, imperiosa, mundana. Ingravescebat iam, eheu! animorum ille torpor et inertia, quam sapienti consilio, at frustra, fugare conatus est Carolus Magnus. Iacebant scholae et, refrigerato omni literarum amore, avolarunt Musae, novaque tandem barbaries cunctas invasit gentes Europaeas. Nihil erat, medio aevo, ecclesia, Papa duce, nisi institutum quoddam paedagogicum, quo tanquam lege suprema eorum coërceretur protervitas et usque ad aetatem iuvenilem, Deo moderante, sensim praepararentur intelligentiores. Et prodiit tandem, Luthero et Melanthone, Zwinglio et Calvino

auctoribus, melior illa aetas, diu exspectata, nec prodiit tamen nisi post restaurata saeculo decimo quinto humanitatis studia et redintegratum literarum amorem. E literis autem renatis et recuperata libertate in lucem prodiit ecclesia nostra Reformata eamque comitata disciplina vere theologica. Relaxata tum erant auctoritatis ecclesiasticae, qua constringebantur, vincula et libere sentire coeperat quicunque optimae religionis duceretur amore et studio. Mox, libertatis sub auspiciis, scholae condebantur, quibuscunque artibus liberalibus ac disciplinis colendis aptissimae, inprimis vero Theologiae. Ipsa haec Academia Lugduno-Batava, omnium in patria nostra antiquissima, auspice Guilielmo Arausiaco, non alio creata est consilio,

— indocti discant, ament meminisse periti! —

quam ut studii theologici prima et summa haberetur ratio. Nimirum noluit vir ille prudentissimus, religionis purioris amantissimus, ecclesiae Reformatae deësse sacrorum antistites, ad munus gravissimum gerendum bene praeparatos, vero animi ingeniique cultu commendabiles. Ceteras iam taceo postea conditas a nostratibus Academias et scholas. Eadem omnium origo et ratio, idem consilium, non improbante, imo applaudente tota ecclesia. Tam altas in hominum animis radices egit haec persuasio, longo usu confirmata, Academica institutione formandos esse doctores ecclesiae, ut nulla deinceps nova exstiterit, quae scholam non desideraret desideratamque sibi quantocius erigeret. Habent Arminiani, postea exorti, seminarium suum Amstelodamense; habent, antiquo errore abiecto, Teleiobaptistae; habent, quod laudamus, hodierni etiam separatistae scholam, ne scilicet muneri suo prorsus impares deprehendantur doctrinae avitae administri. De Lutheranis autem non est, quod dicam, quippe quorum futuri antitites, ne institutione carerent Academica, vel in Germaniam migrare solerent iamque utantur schola Regia, cum nostra Academia quodammodo coniuncta. Videtis, Auditores! quam longe absit, ut a ceterarum disciplinarum communione et cultu separari cupiant theologi verè liberales aut separari eos cupiat ecclesia christiana, in partes quidem scissa, at veri tamen bonique studiosissima. In eo hodie omnes consentiunt rei periti et a partium studio alieni, non bene agi cum ecclesia, nisi in hac Academiae luce sua proferre placita et, quae ab aliis proferuntur, in usum sedulo convertere possit

Theologia, libere exculta. Sic demum, ex illorum iudicio, optimae religioni christianae, non antiquandae nec seponendae, ut alii volunt, sed explicandae, promovendae, consummandae, honos nomenque suum virtusque manebunt. Remotâ vero ab Academiis nostris Theologiâ, verendum est, ne ipsa religio sanctissima, omnium virtutum laudabilium mater et altrix, contemtui habeatur, ecclesiae, illius religionis fautrici integerrimae, damnum inferatur irreparabile et patriae carissimae magis quam dici possit noceatur. Videant consules, ex hominum superstitione aut inscitia aut moribus dissolutis ne quid detrimenti capiat respublica!

Sed audiatur et altera pars! Est enim scholam inter et ecclesiam mutua quaedam coniunctio, minime negligenda. Vidimus autem, sine schola stare non posse ecclesiam. Iam vero et sine ecclesia consistere non posse scholam vere theologicam fidenter equidem affirmo. Quod tamen probe intelligatis velim. Nam si unaquaeque veri nominis disciplina sibi constat causamque, cur excolitur, in se ipsa habere existimatur, veri quippe studiosa, non est, quod de Theologia aliter statuamus. Haec enim veritatis est studiosissima, et veritatis quidem ethico-religiosae, id est summae. Vel sic tamen „non scholae, sed vitae" discendum esse recte monent. Quemadmodum in Academia ius colitur, ut suos civitas habeat iureconsultos, et medicina, ut aegroti sanentur, ita et summa ope niti decet theologos Academicos, ut e schola prodeant ecclesiae doctores bene praeparati, non eruditi tantum, sed et exculti Christique spiritu penitus imbuti. Sal insulsum abiicitur. Et habet nostra disciplina, quod ecclesiae christianae, e qua orta est, lubens inserviat eiusque commoda curet. Postulat pietas, ut ne matre indignam se praestet filia adulta suamque erga matrem observantiam factis probare detrectet. Sed fieri, me judice, vix aut ne vix quidem aliter potest, quin theologus vere christianus, Protestantismi, qui dicitur, principiis addictus, religionem, cui omnem ipse debet animi fiduciam Deo Christoque habitam, non modo intelligere studeat, sed simul et pro viribus promoveat et omnibus commendet hominibus. Hoc autem quid aliud est, obsecro, quam prodesse ecclesiae? Ut igitur quisque optimus est et religionis amantissimus et ad omnia bona ac divina maxime compositus, ita erit ad Theologiam excolendam et docendam aptissimus.

Procul, procul este, profani! Utinam tales nunquam Theologiae desint doctores, quibus religio et res christiana quammaxime curae cordique sunt! Sic nullus erit libertatis, qua iure gaudent, abusus nullusque adeo metus, ne ex abusu qualicunque religioni sanctissimae et ecclesiae christianae grave quoddam immineat periculum. Sed quid ego de metu loquor et de periculis? Religio, quod laetamur, indole sua prorsus divina est et indelebilis, nulla vi unquam exstirpanda, suae ipsa divinitatis in animis hominum optima testis atque vindex. Et tanta est, historia teste, veritatis divinae efficacia, ut, libere explorata, luce splendeat continuo maiore et fructus ferat indies laetiores. Vel sic tamen non nego, Auditores! fieri omnino posse, ut scholam inter et ecclesiam gravis quaedam exoriatur dissensio et in schola talia doceantur, nova prorsus et inaudita, quae ecclesia, sui conscia, non nisi aegre admittat aut iure suo admittere recuset. Humanum est errare: quid mirum, si et Theologia, quippe ab hominibus culta, nonnumquam erret et in devia se abduci patiatur? Sed videat ecclesia, ne theologorum altercationibus intempestive se immisceat aut, externa quadam specie decepta, longe alia improbet et damnet, quam quae in ipsam incurrant, quam profitetur, religionem christianam! Legitur, eheu! saepissime actu praepostero ea impugnasse et reiecisse, quae ipsa postea non tulit tantum, sed probavit et summi fecit, quippe rei christianae accommodatissima. Eiecit quondam Arminianos, et in Germania fortiter restitit Pietistis, qui dicuntur, et summum impugnavit Grotium, Cocceium, Roëllium, alios, quorum tamen haud ita diu post probavit placita et suum convertit in usum. E multis unum nominasse sufficiat Balthazarum Bekkerum, pastorem Amstelodamensem, strenuum superstitionis anilis debellatorem, at Dei Christique hostem ab aequalibus habitum et e munere suo dimotum, cui tamen serior aetas, sedatis iris, calculum adiecit laudesque tribuit nunquam perituras. O levitatem hominum, summa saepe imis miscentium, ne scilicet sibi tradita et a maioribus accepta infringi videantur dogmata! Non tali auxilio nec defensoribus istis tempus eget. Magna est veritas, et praevalebit. Hanc omnes, Christo duce, sedulo petamus oportet, nemo unus totam possidet. Multum hic Deo committendum est, summo omnium rerum arbitro veritatisque vindici fidelissimo; dandum vero etiam aliquid tempori. Opinionum commenta delet dies,

naturae iudicia confirmat: ita verissime Cicero. Eiusmodi commenta, quorum non pauca, fateor, Theologia protulit, tam antiqua quam recentior, ipsa, re denuo explorata, refellere solet et reiicere. Et plus semel illos resipuisse novimus et ad meliorem mentem rediisse, quos brevis ceperat insania. Quotiescunque vero Theologia, rite exculta, naturae profert iudicia eaque iustis argumentis comprobat, dubium esse nequit, quin ecclesia, diu forsitan reluctata, ea tandem admittat sibique vindicet. Veritati, id est Deo, resistere nec potest neque ipsa etiam vult. Haec autem si vere dicantur, theologorum esse apparet, ut in disquisitionibus iustam ecclesiae rationem habeant eique sedulo adaptent, quae proferant. Requiritur prorsus, ut Theologia ecclesiae iura ac privilegia religiose colat, nihil ei obtrudat, pacem eius, quantum fieri possit, promoveat eique pro viribus consulat. Summa ei opus est prudentia, liberalitate, patientia. Praesertim hac aetate nemo leviter praetermittat aut obliviscatur, theoreticam veritatis christianae cognitionem magni quidem faciendam, nec tamen summum esse, quod sibi quaerit ecclesia; porro non ex omni errore, qualicunque tandem, graviora semper damna ecclesiae esse metuenda; denique reperiri inter praeiudicatas vulgi opiniones, quae, nimis acriter impugnatae, confirmentur ac stabiliantur, sponte vero cedant veritatis luci, magis magisque hominibus obortae. Quo magis religiosi sunt theologi, id est Christi spiritu penitus imbuti, eo magis erit Theologia ecclesiae vere christianae amica integerrima. Laudandum hic est maiorum nostrorum institutum, quod ad hunc usque diem viget, ad Theologiam docendam eos vocari, qui per aliquod vitae tempus pluresve adeo annos muneris sacri obierunt officia et praxin ipsi exercuerunt ecclesiasticam. Huius legis exceptionem dari omnes aequissimo animo ferent, si quis erit Tibi similis, amicissime Kuenen! Sic enim iure exspectari potest, ecclesiae eos salutem curare nihilque magis docendo quaerere, quam ut in ecclesiae usum erudiantur et exerceantur futuri sacrorum antistites. Accedit, quod theologi nostri orationibus sacris habendis non tantum ecclesiae prosunt et auditoribus, sed sibi etiam ipsis et disciplinae, quam profitentur, theologicae. Habet haec res magnam, ni fallor, et maiorem quidem, quam vulgo putant, utilitatem, quamquam et suas habet difficultates et noxas. Quid plura? Ea vivimus tempora, Auditores! quibus fieri possit, ut, a se invicem divulsis post

diuturnam coniunctionem ecclesia et schola, utraque subvertatur ac misere pereat, arcte vero coniunctae, laete efflorescant et optimae religioni certatim prodesse pergant. Sperandum sane est, ut nunquam disrumpantur haec, quibus tenentur, vincula, nec sit sine schola ecclesia christiana, nec sine ecclesia, cui prospiciat, schola vere theologica.

Ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω.

Causa mea perorata restat, Auditores! ut, e legis praescripto, memoriam anni Academici, quem, Deo moderante, feliciter transegimus, pia mente vobiscum recolam.

Ad fata autem publica quod attinet; fuit annus, qui praeteriit, prae multis aliis plus uno nomine calamitosus, imo talis ut neminem nostrum eius unquam capere possit oblivio. Vix ego fasces tenebam, ab antecessore mihi traditos, ecce, serpere perrexit ac longe lateque gliscere pestis illa, armentis exitiosa, quae ad hunc usque diem in patria nostra nondum exstincta est. Accessit mox et graviorem luctum attulit morbus dirus, Cholera Asiatica dictus, cuius vim letalem haec civitas olim plus semel senserat, sed iam, eheu! experta est vehementissimam. Occiderunt hic et alibi nescio quot cara capita, nobisque omnibus cuiuscunque ordinis et aetatis hominibus per complures menses continuos praesentissimum imminebat vitae periculum. Exarsit interea in Germania bellum intestinum, quo nihil cogitari potest funestius. Producuntur in aciem utrinque aliquot centena millia armatorum. Vehemens agminum concursus, atrox ubivis pugna et multiplex, magna necopinata Austriacorum clades et non nisi magno pretio emta a Borussis victoria. Thronos audivimus subversos, reges fugatos, agros bene cultos regionesque fertilissimas ferro devastatas ac igne, fratres a fratribus caesos, truncatos, dilaceratos, in ipso aetatis flore misere exstinctos. Audivimus, Auditores! et obhorruimus perterriti hominumque deploravimus nefandam insaniam, id unum gavisi, per brevissimum temporis spatium hoc aevo tantas res potuisse confici. Augebat moerorem animorum iniqua aëris temperies et aestas non laeta aut iucunda, sed nubibus imbribusque turbida et solis ardore fere destituta. Qua

exeunte adest tempus autumnale, instat hiems. Pax componitur in Germania, non leviter commutata Europae facie, salva tamen patria nobis carissima. Iam vero, proh dolor! inter nostrates gravis quaedam exoritur dissensio civilis, dimittuntur ab augustissimo Rege ordines generales, habetur per omnes provincias, in urbibus pagisque, nova comitiorum electio, dissidentibus inter sese et dimicantibus acerrime, at sine gladiis, civibus nostris de patriae salute quovis meliori modi tuenda ac promovenda. Sed quo me rapit anni praeteriti flebilis recordatio? Nonnulla tantum tetigi leviterque perstrinxi. Haec omnia vero si mihi Vobis enarranda essent, vox mihi et latera viresque deficerent. Infandum renovare dolorem festo die quis sustineat? Nec, quod laetamur, a rebus istis publicis earumque vicissitudinibus ita pependerunt nostrae Academiae fata tam adversa quam prospera, ut sine illis haec intelligi nequeant. Quapropter brevibus nobis esse licebit.

De Curatoribus Academiae, Viris amplissimis, nihil habeo, quod commemorem, nisi hoc, quo nihil maius est, omnes superstites esse et incolumes atque rebus nostris, ut solent, prudenter consulere. Gratulamur Vobis, Viri optimi! florentem Academiae statum, auctum hoc anno Professorum numerum, iuvenum studiosorum frequentiam et diligentiam. Testantur haec omnia, etiam me tacente, nihil a Vobis intentatum relinqui, quo promoveri possit institutionis avitae, curis vestris demandatae, perpetua prosperitas. Pergite, quaeso, auctoritate Vestra nobis adesse et quae etiamnum agenda restant ad optatum finem perducere! Valet hoc inprimis de exstruendo novo et ampliori Nosocomio Academico, quod in votis est, ne de hoc aedificio, Musarum sede parum honesta, praemature dicam. Sic autem habemus sane, quod de Te Curatore bona quaevis nobis auguremur, Amplissime van den Brandeler! Tenuit Te antea, quum in hac Academia versareris, ad Patris exemplum, medicinae amor et studium. Sed et, magistratum ingressus, almam matrem colere non desiisti. Dicentem Te audire memini, id potissimum Tibi esse gaudio, quod in desideratissimi Siegenbeekii locum suffectus, non civitatis tantum Leidensis, sed Academiae etiam curam gerere possis. Hanc autem curam pro virili fideliter agendo, spero fore ut ad utriusque salutem consummandam quam-

plurimum conferas. Qua in re, ut in ceteris omnibus, propitius Tibi adsit D. O. M.!

E Professorum ordine tres morte amisimus viros clarissimos, collegas honoratissimos, quorum primus octogenario maior erat, alter rude donatus, tertius autem ante multos menses tam gravi morbo correptus, ut vix spes vitae superesset. Vel sic tamen non sine animi dolore et luctu parentandi officio equidem fungor.

Octoginta et tres annos natus Iohannes Matthias Schrant anni superioris mensis Aprilis die 5to placide mortuus est, Amstelodamensis, parentibus ortus honestis, a pueritia inde sacerdotio destinatus, nec nisi post varios casus in hanc delatus Academiam. Per longam autem annorum seriem virum se probavit integerrimum, animi pietate conspicuum, verae eruditionis amantem, moderatum, modestum, pacis servandae studiosissimum, sibique in omnibus constantem. Talem Tu eum longo usu expertus es, optime Hengeli! ex eo inde tempore, quo ipse, ruri degens, primum in eius notitiam venires, sed ne per somnium cogitares, in eadem hac Academia tandem Vos coniunctum iri.

Scholis praeviis decursis, in Athenaeo Amstelodamensi Lennepio et Swindenio usus est praeceptoribus, ibique ea iecit doctrinae multifariae fundamenta, ut anno huius saeculi tricesimo secundo a Senatu nostro, honoris causa, creari posset Philosophiae Theoreticae Magister, Literarum Humaniorum Doctor. Quominus autem hunc gradum iuvenis capesseret, impedivit consilium, quod ceperat, Amstelodamo migrandi in seminarium Warmondense, ubi Romano-catholici informantur sacrorum antistites et administri. Post indefessa studia, auctore praesertim Lexio, viro clarissimo, ibidem peracta, anno aetatis vicesimo tertio sacerdotio inauguratus et deinde in urbe patria per quinque annos vicarii ecclesiastici munere functus est apud Beukmannum pastorem. In qua statione omnium bonorum non tantum benevolentiam sibi et amorem mirum in modum conciliavit, sed et, quoties in suggestum prodiret, eloquentiae sacrae laude ita excelluit, ut magna esset et constans auditorum frequentia. Nec minus eo tempore studiis vacavit variaque scripta in lucem edidit. Inter haec autem quum et „vitam

Iesu," in usum iuventutis liberaliter conscriptam, vulgavisset, repente in multorum incurrit reprehensionem, clamitantium, in illo libro Schrantium fidem catholicam non satis fideliter per omnia servasse. A qua calumnia librum et ipse fortiter vindicavit, et vero etiam praeceptor Lexius. Vel sic tamen ab eo inde tempore clericorum in se odia ita expertus est, ut valde dubium videretur, an in stadio ecclesiastico unquam ad altiora perventurus esset. Mittitur anno huius saeculi decimo primo Amstelodamo in Hollandiae septentrionalis pagum Bovenkarspel, prope Enchusam, ubi pastoris rusticani partes expleat. Invitus obtemperat. Ingenuis vero ruricolis haud minus placet vir egregius atque bene cultis placuerat civibus Amstelodamensibus. Sed aliud mox imminet periculum. Rogat Beukmannus officiosissime, ut ad se veniat Schrantius, die quodam festo pro concione verba facturus. Venit, nihil metuens nulliusque sibi culpae conscius. Eximproviso vero, ante habitam orationem, sub praetextu aliquo e pastoris domo subducitur, in carcerem coniicitur ibique procul a parentibus, propinquis, amicis, per triduum detinetur. Cogitate, quaeso, quum in adamati Schrantii locum Beukmannus prodiret causamque non sine lacrymis exponeret, quantus fuerit congregatae concionis stupor et indignatio! Dominabatur autem illo tempore in patria nostra suspiciosus Napoleon I, apud quem noster delatus erat, quippe auctor libelli cuiusdam, contra libertatem ecclesiae Gallicanae, ut putabatur, male conscripti. Re melius cognita, continuo apparuit, nihil eiusmodi illo libello contineri. Dimittitur ergo innocens et ad suos redit, mox tamen non levi morbo correptus, e tridui anxietate orto. Iam per hanc, quam aequo animo tulerat, contumeliam acerbam postea videtur Regi Guilielmo I innotuisse et magnopere commendatus fuisse. Non tantum enim, illo honorifice rogante, anno huius saeculi decimo quarto publice prodiit Hagae Comitis, Papae Pii VII, e captivitate sua dimissi, solennem reditum in cathedram Romanam oratione sacra celebraturus; sed et inter primos fuit, qui anno decimo sexto ordinis Leonis Neerlandici insignibus ornarentur. Cui egregio honori mox maiorem addit Rex benevolus. Anno enim sequenti pastorem ruralem, nihil eiusmodi opinantem suaque sorte contentum, in cathedram vocat Gandavensem, e qua historiam literasque patrias publice doceat. Quid? quod repugnanti Schrantio voluntatem suam ita significavit, ut huic munus illud honorificum, at gravissimum aleaeque

periculosae plenum, detrectare non liceret. Erat sane aliquid, isto tempore linguam Neerlandicam ex humili loco, quo diu in Belgio abiecta iacuerat, efferre Belgisque renitentibus commendare. Nec contendam equidem, in hoc peragendo consilio virum optimum apud omnes satis felici successu fuisse usum. Sed fuerunt tamen haud pauci, quos linguae nostrae literarumque amore et studio imbueret, idque ego fidenter affirmare ausim, nihil eum neglexisse, quo ad metam sibi propositam pervenire posset. Tum lectionibus habendis Vondeliumque, Belgis gratissimum, sedulo interpretando, tum oratione rectorali patrii sermonis studium Iurisconsultis quammaxime commendando, tum et scholarum in Flandria orientali strenuam et diligentem curam agendo — ne alia memorem — talem se praestitit, qualem Rex augustissimus expeteret et temporis locique ratio postularet. Quapropter spartam, quam nactus erat, vere exornasse dicendus est. Sed anno iam huius saeculi tricesimo, deficientibus a Rege nostro Belgis et mutato inde rerum publicarum statu, huic duodecim annorum labori finis imponitur. Cum aliis nostratibus Schrantius in patriam redit et anno sequenti in Facultate Philosophiae Theoreticae et Literarum Humaniorum Leidensi professorum ordini adiungitur. Sic tandem noster factus est.

An vero ab eo inde tempore ita noster fuerit, Auditores! ut in hac nova statione sibi ab omni parte satisfaceret, dubitare omnino licet. Nolo hoc urgere, eum tunc temporis iam prope abfuisse ab anno aetatis quinquagesimo, ex quo, ut fama fert, nostri ordinis hominibus longe facilius esse solet, in usum iuventutis acquisita expromere quam nova et continuo maiora acquirere. Non erat ignaviae deditus ille, nec corpore aut animo fractus, sed ad laborem quemcunque paratissimus. Obstabat vero, quod ei non continuo suae dari poterant publice docendi partes, nulla scilicet vacante cathedra. Plures annuntiavit et vero etiam habuit lectiones, quas tamen nescio an suo pretio aestimarent auditores non admodum frequentes. Sed scriptis varii argumenti, quae antea ediderat, nova addidit, gnaviter elaborata, quibus multorum inserviret commodis. Functus quoque est munere rectorali illudque anno huius saeculi quadragesimo quarto posuit oratione habita *de Arminio, Cheruscorum, et Claudio Civili, Batavorum ducibus inter se comparatis*. Et anno sequenti ineunte res eo devenit tandem, ut in Siegenbeekii, rude donati, locum Professor crearetur ordinarius. Erat tum

vero Schrantius sexagenario maior, nec nisi octo ei anni supererant, quibus ab omni parte doctoris Academici partes expleret, quippe qui anno quinquagesimo tertio terminum, qui dicitur, fatalem attingeret. Per hoc tamen brevissimum temporis spatium pro virili sua praestitit omnibusque prodesse conatus est et vero etiam profuit, qui in eius se disciplinam traderent, nec cessavit a lectionibus publicis, antequam successori suo provinciam sibi demandatam rite tradere posset. Iam de illius in literas patrias historiamque meritis et institutione Academica penes alios iudicium esto! Me viri benevoli, affabilis, eruditi, in otio suo minime otiosi, laudes celebrare lubet, quem semel tantum mihi adire contigit, quum propinqui sibi carissimi, Collegae nostri in Medicina expertissimi, in ipso aetatis flore rapti, acerbam mortem lugeret; sed scripta cuius theologica, quotquot mihi innotuerunt, animum arguunt candidum, veri studiosum, a litibus alienum, religionis sanctissimae amore penitus imbutum, de eius veritate sibi persuasissimum, ad eam iunioribus etiam commendandam aptissimum et in S. Scriptura intelligenda et explicanda ita versatum, ut dolendum omnino sit, Novi Testamenti, quam diuturno labore paraverat, versioni vernaculae, quominus ederetur, varia ab auctoritate ecclesiastica obmota fuisse impedimenta. In fide autem, quam profitebatur, catholica perstitit, ita tamen ut neminem condemnaret, in quo aliquid Christi reperiret, et quibuscunque egenis liberaliter succurreret. Qua in re si forte non omnibus placuerit eiusdem fidei sociis, equidem nullus dubito, quin Deo placuerit, omnium sine discrimine hominum Patri clementissimo, benignissimo.

Vitam magis placidam et quietam, nullis fere turbatam fatis gravioribus, defunctorum alter egit, Henricus Cock, Transisalanus, nobili e gente ortus, qui per quadraginta annos et amplius professoratum gessit, primum Daventriae, ab anno autem huius saeculi vicesimo sexto in hac Academia, donec septuagenarius emeritatum nancisceretur. De quo viro gravissimo et ab omni laude expetenda alieno me non nisi paucis dicere, ne quis miretur! Ipse enim, quum a. 1836 magistratu Academico abiret, de Reuvensio et Hamakero, viris celeberrimis, tam concisa brevitate et concinnitate dixit, ut palam faceret, quam rationem in hac re ipse maxime probaret. Summa quoque mihi ob oculos versatur viri modestia, qua sedulo cavere stu-

duerit, ne quis ad eius tumulum verba faceret. Adstitimus taciti, per ipsum tamen funus rerum humanarum fragilitatis memores. Sed hodie coram Vobis silere nefas sit, quantam sibi nominis famam iuvenis eo iam tempore comparaverit, quo, ex Athenaeo Daventriensi advena, in Academia Rheno-Traiectina per quinque annos iurisprudentiae daret operam suamque factis probaret sedulitatem fere incredibilem. Nempe ter ei contigit e certamine literario victor prodire, primum Traiecti ad Rhenum, tum Groningae, denique hic Leidae. Respondit ad quaestiones *de alea et aleatoribus*, *de fine poenis proposito* et *de iudiciis iuratis*, et ita respondit, ut, e cuiusque ordinis sententia, rerum copia, iudicii acumine, elaborationis studio et dictione bene latina ceteros facile superasse iudicaretur. Quod quo maior erat concertantium numerus et quo se laudabilius gesserant, eo iure habebatur honorificentius. Dubitare se aiebant antecessores Groningani, utrum auctori maior a disputatione egregie conscripta an vero ab examine, cum eo instituto, laus esset tribuenda, eumque quatuor competitoribus, inter quos duo erant, quibus praemium posset erogari, praetulit Ordo Leidensis ob iudicii magis firmati vigorem et stili magis exercitati colorem. Tergeminis hisce honoribus auctus et ab exteris quoque laudatus, anno huius saeculi vicesimo primo gradum capessivit in utroque Iure doctoralem, publice defensa disputatione *de argumento ex analogia eiusque a legis interpretatione differentia.* In cuius disputationis exordio Rhoerii obitum luget et, praeter hunc, Arntzenium laudat et Brueyssium praeceptores optime de se meritos. Hunc autem tantis viris dignissimum discipulum mirum sane non est, Athenaei in urbe patria Curatores sibi statim vindicasse, abeunte Groningam Holtio. Delatam in se provinciam anno sequenti suscepit Cock habita oratione *de philosophico iurisprudentiae studio èt ad fructum uberrimo èt ad voluptatem suavissimo.* Nec magnam sui, quam moverat, exspectationem fefellit vir eruditus. Vix tribus annis praeterlapsis, ecce, diem obit summus Kemperus, in cuius locum huc vocatur. Hoc ipso solenni die, quem agimus, munus suum auspicatus est dicendo *de iuris publici universalis studio ad civitatis pacem otiumque fructuosissimo.*

Munere autem gravissimo quomodo functus sit et quid apud nos potissimum egerit, non opus est, ut Vobis scientibus enarrem. Nemo

ignorat intelligentior, Iuris antecessoribus in hac Academia, propter ingentem iuvenum studiosorum coronam, tot obeunda esse officia publica, ut vix aut ne vix quidem privatis studiis otium supersit. Egit noster quovis fere anno de iure tam naturali et criminali quam publico, ut et de iure gentium, in quibus igitur iurisprudentiae partibus vitae tabernaculum posuisse censendus est, non neglectis tamen ceteris. Discipulos habuit quamplurimos, alios aliis quotannis succedentes, qui hic ius colerent: inter quos et Regem nostrum augustissimum fuisse, quum hic versaretur, fratremque Alexandrum, nec non novissimis temporibus Principem Arausiacum, regni heredem, eo magis notandum est, quo erat gentis Arausiacae amantior ille. Praeterea rectoratum gessit, quem quum ante hos triginta annos publice deponeret, *de iure gentium Europaeo* dixit, *temporum nostrorum conversionibus vehementer labefactato*. Anno vero huius saeculi sexagesimo redeuntibus ad eum rectoratus vicibus, ob provectam aetatem hos detrectavit iteratos honores. Denique ad civitatis etiam Leidensis et provinciae Hollandiae meridionalis commoda curanda communi civium suffragio vocatus est et comitiis secundi ordinis, quum duplici numero haberentur, adfuit. Sed post labores iuveniles vix quidquam in lucem edidit. Typis expressum fuisse fertur compendium quoddam iuris publici, quod in discipulorum usum paraverat, ct magnopere laudatur ab iis, qui inspexerint, nec tamen, quod dolemus, divulgatum est. Erat in eo uberrima multifariae doctrinae copia, quam celare ac fere dissimulare malebat quam ostentare aut largiter expromere. Inerat mirum ingenii iudiciique acumen, quod ii praesertim experti sunt, qui de quacunque re difficili aut intricata eum consulerent. Inerat eleganter latine dicendi et subtiliter disputandi et, ubi animus ferebat, verbis ludendi et iocandi facultas. Inerat animi erga Deum pietas morumque integritas et erga miseros inopesque, quibus succurreret, magna liberalitas. Virum gravissimum, perpolitum, patriae amantem, suspicere solebamus collegae, venerabantur inprimis interioris admissionis amici. Condecoratus fuit a Rege tam ordinis Leonis Neerlandici quam quernae coronae insignibus. Vitae eius privatae anno 1841 ingentem cladem attulit dilectissimae coniugis immatura mors. Postquam voti compos emeritatum nactus est, indies magis senescentem eum vidimus et tandem misere collapsum. Diem obiit d. 21 Octobris anni superioris, et

unum reliquit filium, virum consultissimum, pluresque numero filias, Patrem carissimum lugentes.

Sit ei terra levis, et molliter ossa recumbant!

Duobus hisce collegis mortuis d. 29 m. Octobris tertius, eheu! accessit Gideon Ianus Verdam, quum annum aetatis ageret sexagesimum quartum. Erat vir ille egregius animo quam corpore multo robustior, et quadrat in eum, quod est in proverbio: »Aliis lucendo ipse terar." Diu iam metus nos incesserat, ut ad summam perveniret placidamque senectutem. Ille enim, vix redeuntibus morbo identidem attenuatis viribus, ad studia statim redire rebusque suis paragendis tam strenuam et indefessam operam solebat impendere, ut in integrum restitui non posset valetudo. Incidit tandem in gravem denuo morbum, qui irreparabile nobis damnum minaretur. Spes aliqua affulserat, quo tempore decessor meus aestumatissimus magistratu abiret, optimum virum inde iterum recreatum iri. Sed hanc spem fefellit eventus. Nocuit ei magis quam profuit anni superioris aestas turbida, quam Harlemi, ut solebat, transegit, et ad nos ita rediit, ut non pro voto lectionibus suis, sed paucioribus tantum et provectioribus discipulis edocendis nonnunquam vacare posset. At vacavit tamen, qua erat studiorum adsiduitate animique constantia, donec tandem hisce laboribus impar corpus frangeretur piaque anima ad oras evolaret coelestes, magnum sui his in terris desiderium relinquens. Erat enim noster Verdam in paucis eximius doctor academicus, quem omnibus aliquando Kaiserus in hoc ipso auditorio exemplum proposuit diligentiae et strenue peracti officii.

A me non exspectatis, Auditores humanissimi! ut tanti viri merita digno praeconio celebrem. Apparuit in eo, quid valeat nativa vis ingenii, improbo labore promota. E pago Mijdrecht oriundus, patre honesto, qui notarii publici munere fungebatur, huius noluit insistere vestigiis, sed, eo vix probante, militiae factitandae se ipse destinavit, et illi potissimum scientiae militaris parti, quae in castrorum munitione versatur. Hoc consilio Delphos Batavorum se contulit adolescens, ut deinde inter illius militiae alumnos admitteretur. Quo vero tempore ibi, duce Iacobo de Gelder, studia coleret, quibus rite praeparari posset, praeceptore dilectissimo huc

vocato, subito vitae mutavit consilium, non refragante, imo suadente et approbante patre. In hanc autem delatus Academiam, ab anno inde decimo nono huius saeculi ea alacritate eoque successu vere stupendo studiis mathematicis et physicis incubuit, ut ter quaterque, imo quinquies praemium reportaret aureum, Gandavi, Groningae, Ultraiecti, hic Leidae semel iterumque. Crevit sic non doctrinae tantum copia, sed ingenii quoque laude et industriae fama, ita ut de eo optima quaevis augurari liceret. Quam famam auxit etiam disputatio, qua edita et defensa anno vicesimo quinto summos honores adeptus est. Quaerit haec disputatio ratione mathematica et physica *de mensura, constructione et munitione aggerum terreorum, ad lacus, fluvios et mare ab agris humilioribus arcenda.* Laudatissimo Leidensis Academiae discipulo per aliquod tempus Groningana lectore usa est, qui mechanicam practicam ibi doceret. Mox vero praeesse maluit scholae, illis artibus et disciplinis, quae ab industria vocantur, dicatae ibique tam institutione quam libris edendis ita inclarescere perrexit, ut anno huius saeculi tricesimo nono huc vocaretur Matheseos professor extraordinarius. Postquam anno quadragesimo quinto ordinarius est creatus, Geldero suo, cuius et vitam descripsit et merita, ab omni parte successit. Per quinque igitur lustra et quod excurrit docendo, adhortando, praeeundo iuventuti Academicae egregie profuit. Magna in eo erat discipulorum cura et sollicitudo, ne quid agendum relinqueret; magna in res etiam abstrusissimas et minutissimas inquirendi *ἀκρίβεια;* magna praesertim in docendo perspicuitas et ubertas et mira quaedam in describendis figuris mathematicis aliisque sollertia et dexteritas. A rebus publicis hominumque usu paulo alienior, non sibi tamen vixit, sed discipulis et dilectissimis sibi disciplinis, nihil magis curans quam ut provinciam, quam sortitus erat, honorificam rite administraret et nulla in re deësset officio. Pluribus deinceps societatibus doctis, etiam apud exteros, adscriptus est, licet hominum laudes non ambiret. Rex eum insignibus ornavit Leonis Neerlandici optime meritum. Quae autem opera edidit, quorum longa series est, ea omnia magno in honore sunt habita, partim repetitis etiam editionibus divulgata et germanice versa. Sed meum non est, Auditores! viri celeberrimi in disciplinis mathematicis et mechanicis merita exponere aut diiudicare. Laudo industriam et perseverantiam nullo non praeconio maiorem. Imbecilla saepe

erat, sicuti antea dixi, eius valetudo et perpetuo fere vexabatur corporis cruciatu. Nullus tamen dies eum non invenit munere fungentem. Nemini discipulorum ad eum aditus non patuit, qui eius opem imploraret. Nullus eo fuit sollertior et diligentior, disciplinis aut Academia postulantibus. His ipsis verbis ante multos iam annos de eo testatus est summus Kaiserus, collega coniunctissimus. Quibus virtutibus quum amabilis quaedam accederet modestia, et erga alios observantia, et erga Deum pietas, vita moribusque comprobata, nec non summa in cladibus etiam domesticis perferendis animi constantia, quid mirum, quod eum collegae amaremus et admiraremur, discipuli in deliciis haberent debitaque prosequerentur reverentia, eoque professore vere clarissimo gloriaretur Academia, bono cive patria? Intelligitis, quantus fuerit, eo mortuo, omnium bonorum luctus. Lectissimae vero coniugis quis enarret lacrymas? Haec nobis afflictis una restat eaque summa consolatio: Nec incassum vixit vir optimus, nec omnis mortuus est, et summa eius virtus intaminatis fulget honoribus.

Lugemus defunctos; de ceteris vero omnibus, quibus atra mors pepercit, collegis aestumatissimis laetamur, Auditores! Deoque Conservatori debitas hodie grates persolvimus. Ne unum quidem ex iis corripuit, quum hac in urbe grassaretur, Cholera Asiatica. In gravem deinde morbum implicitus clarissimus Simon Thomas, Deo benigne moderante, fere convaluit: quod beneficium divinum Tibi, Vir amicissime! Tuisque, praesertim vero Academiae nostrae, eo gratulamur impensius, quo nobis es carior et quo maiora Tua sunt in disciplinam Tuam artemque merita. — Valet etiam, quod gaudemus, vigetque senex venerabilis Pruys van der Hoeven, qui, post peractum munus, ab hisce quidem Academiae natalibus concelebrandis abesse solet, sed vitam tamen, quam egit et agere pergit, Academicam suavissimo scripto, nuper edito, ita recoluit, ut animum argueret vere iuvenilem multaque proferret iuvenibus pariter atque senibus utilia. — Sed Te nobis hodie praesentem adesse, optime Hengeli! Tibique grandaevo Deum vitam viresque ita fuisse largitum, ut adesse possis, id quidem ante hos undecim annos, quum oratione inaugurali Te alloquerer, sperare prorsus non audebam. Ex iis, qui Te iuvenem cognovere, supersunt paucissimi; adest unus, Pater ipse meus carissimus, Tuus quondam commilito,

quem valere et hic adesse non tantum laetor, sed ea, qua par est, pietate inter summa reputo vitae meae bona huiusque diei solennis. Hic igitur ex iis, qui Te iuvenem cognovere, fere solus est superstes; sed senem Te omnes veneramur iuniores ac patris instar diligimus. Tu autem nobis adesse pergas, auctoritate, exemplo, monitis et consiliis saluberrimis, Tibique, precor, tam felici esse contingat, ut in lucem ipse prodire videas et ab intelligentioribus probari novam Novi Testamenti versionem vernaculam, Tuis sub auspiciis diu elaboratam ac fere absolutam.

Auctum esse Professorum numerum iam significavi, Auditores! Nimirum tres successores Halbertsma unus habuit. Intelligitis, ut maximus erat, illo exstincto, omnium bonorum luctus, ita mihi Rectori dulcissimum esse, quo iam fungor, officium Vos collegas publice compellandi, Triumviri clarissimi! qui iam suum quisque munus, habita oratione, solemniter capessivistis. Multa erant, quae de Vobis, doctoribus Academicis, fausta quaevis et praeclara ominarentur: maximum, praestantissime Heynsi! quod Amstelodami reliquisti, ubi per aliquot annos Physiologiam professus es, Tui desiderium; summum, quo iuventus Academica Tuam institutionem, amicissime Boogaard! habere solet, pretium; nec non egregia, quam de Te, doctissime Zaaijer! praeceptor Tuus Halbertsma conceperat, exspectatio. Nec praesagia fefellerunt laboris vestri primitiae. Gratulamur Vobis, et vero etiam Academiae nostrae, insignem, quem in Facultate medica occupastis, locum, et Vobis non deësse gaudemus, quibus utamini, subsidia. Aedificatum hoc anno et in usum converti coeptum est Laboratorium, quod nobis deërat, Physiologicum, apte et eleganter, at modice tamen, constructum. Praeterea auctum est Museum Anatomicum eximia speciminum Pathologico-Anatomicorum supellectili, quae in usus privatos a se collecta, praeparata et ordine disposita, Academiae Lugduno-Batavae vivus donavit clarissimus Suringar, addito catalogo ab eo conscripto et typis expresso: pro quo dono splendido ac vere liberali Tibi, Vir aestumatissime! omnium verbis gratias ago quas possum maximas. Voluisti Tu quidem ita quodammodo persolvere multa et gratissima, quae huic nostrae Academiae accepta refers, vitae bona. Haec vero quo tandem modo Tibi unquam persolvere poterit, quae Tuae debet doctrinae amplissimae, egregiae iuvenum institutioni et indefessae industriae? Quo alio meliori, quaeso, quam erigendo

quanteoius Nosocomio illo Academico, cuius nos per multos iam annos spes irrita tenuit? Iam vero, nisi me omnia fallant, res sic se habet, ut, remoto mox postremo, quod obstat, impedimento, aedificii illius iaciantur fundamenta. Sic demum studiis in hac Academia medicis bene consultum iri, omnes rei periti uno ore testantur. Vos autem, Collegae coniunctissimi! salvos omnes et incolumes esse iubeat D. O. M., ut his ceterisque subsidiis quam diutissime utamini in iuventutis academicae, artis Vestrae salutiferae et patriae nobis carissimae commodum et emolumentum!

Post Iuynbollii mortem nullus erat creatus Legati Warneriani interpres. Vel sic tamen Legati illius celeberrimi res egregie curabant duumviri doctissimi, de Iong et de Goeje, adiutorum nomine, dum interpres, quem adiuvarent, deësset, satis inepto nuncupari soliti. Medio vero anno praeterito placuit Regi augustissimo, rogatu Curatorum, summam utriusque comprobare sedulitatem iisque singulis suum in hac Academia locum ita adsignare, ut ille sine adiutore Interpretem ageret, addito paulo post Professoris titulo honorifico, hic autem vocaretur ad Linguarum Orientalium professionem extraordinariam. Post ferias aestivas munus suum uterque auspicatus est. Habetis, Viri clarissimi! virtutis praemium, et res Vestras in melius mutatas esse laeti agnoscitis. Sed et nos habemus, quod Vobis ex animo gratulemur et literis orientalibus bene consultum esse gaudeamus. Est vero onus gravissimum, quod in humeros Vetros suscipere haud recusastis, Schultensios, Hamakerum, Weyersium antecessores nacti. Sed, ut in proverbio est, leve fit quod bene fertur onus, et uterque ea etiamnum estis aestate, ut per longam annorum seriem maiorum laudes atque virtutes aemulandi spes arrideat. Vos igitur, ut facitis, dextras iungite et quae uterque iam agitis, eadem alacritate peragite, ut avitam in his literis gloriam digne tueamini!

Vacanti cathedrae in disciplina mathematica iam egregie prospectum esse, neminem latet, viro doctissimo van Geer, huius Academiae alumno, huc vocato, ut extraordinariam professionem suscipiat. Dulce vero Eius compellandi officium successori meo relinquendum est. Sed iam Tibi, clarissime Bierens de Haan! locum Tuum in disciplinarum Mathematicarum et Physicarum ordine datum esse, id non sine animi gaudio comperimus.

Nec dubia res est, quin hunc locum, pro meritis Tuis, ita tuiturus sis, ut Academiae gloriam augeas et discipulorum Tuorum commoda egregie cures. — Quem autem in eadem Facultate locum Tu occupas, Iane van der Hoeven! eundem Te iam per quadraginta annos et amplius egregie tenuisse, id quidem omnes mecum laetati sunt. Festum diem, quem, applaudentibus discipulis, animo commoto celebrare Tibi contigit, Vir honoratissime! ita Tibi gratulatus sum et iam iterum gratulor, ut per reliquum vitae tempus omnia illa Tibi bona divinitus exoptem, quibus labor Tuus improbus quodammodo compensari et nominis Tui splendor magis etiam illustrari possit. — Ex ordinis equestris Belgici insignibus, Tibi, coniunctissime Rijke! donatis, iterum nobis apparuit, eximiis Tuis meritis suum constare honorem. — Tu quoque mihi congratulandus es, clarissime van der Chijs! cui finem optatum imponere contigerit labori indefesso viginti circiter annorum, edito Operis Numismatici tomo nono, omnium postremo. Quo opere iam absoluto non dubito, quin Tu Tibi perseverantiae et eruditionis monumentum exegeris, ipso aere nummorum, quos sedulo colligis et conservas, perennius. — Nec minus commemorare iuvat, tribus scholae Indicae, cum nostra Academia quodammodo coniunctae, professoribus quartum hoc anno esse additum, virum consultissimum M. W. Scheltema, et Russorum Imperatorem in ordinem St. Annae equestrem recepisse virum doctissimum Ianssen, antiquitatum perscrutatorem sagacissimum.

Venio ad apparatum Academicum studiorumque adiumenta. De Nosocomio exstruendo et aucto Museo Anatomico iam dictum est. De Historiae Naturalis Museo et Physico et Chymico non habeo, quod dicam novi. Numismaticum hoc etiam anno insigniter crevisse, vulgo notum est. Et in eodem agello suburbano cum Hortum Botanicum laete florere, ita ut perlustrans nitorem terrestrem admireris, tum speculam Astronomicam, melius dotatam, auctore Kaisero nostro, egregie adhiberi ad coelum contemplandum, et coelestia perscrutanda, quis est inter nos, qui nesciat? Bibliotheca autem post renovatas aedes plurium in dies studiis servit, ut decora spatia supellexque elegantior non tantum ad speciem ornatumque instituta esse appareant.

Tandem ad Vos me converto, Commilitones exoptatissimi! Quod de Vobis testatus est decessor meus, Vos ipsi facilem fecisse Rectoratum, ita ut gravi illo munere esset ornatus magis quam oneratus, idem Vobis ego hodie impertior testimonium honorificum. Omnes Vos mihi humanitate vestra et erga praeceptores observantia egregie commendastis. Fuerunt eheu! quos mors immatura rapuit. Stuffkenium taceo, quippe qui, quum morti succumberet, post egregie paracta studia schola iam erat egressus; sed Tibi tamen, Collega coniunctissime! hunc filium lugenti, ex animo apprecor, ut afflictum Te sustentet et consoletur summa Dei Patris benignitas. Praeter hunc autem uno tanquam morbi letiferi ictu perculsus cecidit ornatissimus Bakker, Snecanus, quum examinis causa hac in urbe moraretur. Lenta vero tabe consumtus est in domo paterna Bruinvisch Maatjes, Amstelodamensis, nec non procul a patria Henricus Tels, Roterodamensis. Accesserunt his tribus Emil. Egb. van Kesteren, Limburgensis, qui feriis hibernis subita morte apud suos diem obiit, et ante paucos dies Fred. Ioh. Prins, Frisius. Hos omnes bonae spei iuvenes fuisse parentibus, praeceptoribus, amicis carissimos, vix opus est, ut dicam. Vos autem, Cives Academici! incertam esse vitam etiam in iuventute, nec vere vivere quam qui bene vivit et aetate utitur ad omnia bona et pulcra et honesta sectanda, admoniti teneatis. Ceteros vero omnes e morbi inter nos saevientis contagione salvos evasisse, id sane eiusmodi est, ut gratissimo in Deum animo laeti agnoscamus. Atque eo magis hoc ego hodie commemoro, quo plures fuerunt e Medicinae Candidatis, qui, grassante morbo, aegrotantibus succurrerent et noctes diesque praeessent Nosocomio publico. Sic generosi iuvenes factis egregie probarunt, se ad communem salutem arti medicae vitam viresque impendere nullisque absterreri periculis. Eorum plerique, doctoris honore aucti, Academiae iam valedixerunt, nec tamen hinc discessisse laetor sine splendido civitatis Leidensis dono, virtutis et constantiae praemio. Sed non medicinae tantum studiosi laudandi sunt. In laudis communionem venerunt post ferias aestivas omnes, quos tantus invasit patriae amor et salutis communis studium, ut arma ceperint inque iis exerceri voluerint. Annuente Rege constituta est cohors Academica, sic ordinata et instructa, ut, si quid eveniat, externis resistere hostibus ac vim vi repellere possit. Laudo equidem haec vestra studia, Iu-

venes optimi! eodem captus patriae carissimae amore illiusque memor: »Si vis pacem, para bellum!" Laudat vero etiam et applaudit lectissima virginum corona, e quarum manibus mox Vobis solenniter tradetur elegans vexillum, acu pictum, quo, si unquam pro aris ac focis dimicandum erit, ad victoriam ducamini. Sunt illae omnes Professorum Leidensium filiae; et hinc quoque apparet, quantopere vestra studia probent Professores Leidenses. Vos autem ego eo laudo impensius, quo magis hoc anno praeterito compertum habui, apud Vos inter arma Musas non silere. Vidit Academia Groningana, cuius erat de certaminis literarii exitu iudicium ferre, haud minus quam quatuor ex Academiae nostrae civibus victores. Praemium reportarunt ornatissimi Hartogh Heys van Zouteveen, Asser et de Steurs; industriae testimonium accepit Ramaer. His nuperrime accessit ornatissimus Schoor, quem publice laudarunt Professores Amstelodamenses. Egregie hos ita almae matris gloriam stabilivisse laetamur. Sed ecce, denuo adsunt, licet pauciores quam vellem numero, qui praemia meruerunt, augustissimi Regis liberalitate parata. Audiatis, quaeso, uniuscuiusque Facultatis iudicium de responsis, sibi allatis.

Sunt ergo duo tantum e commilitonibus nostris praemio ornandi, uterque tamen meritissimus et in certamine literario iam antea laudem consecutus, alter ante hos duos fere annos Ultraiecti, Amstelodami alter nuperrime.

Accedite, ornatissimi Bleekrode et Schoor! ut, ex Regis auctoritate et munificentia, Vobis ea tradam, quae meruistis, virtutis et doctrinae praemia!

Vos, Iuvenes optimi! macti virtute estote et hisce, quos consecuti estis, honoribus ad continuo maiora petenda incitemini! Fuistis ad hunc diem Academiae nostrae decora et ornamenta. Mox autem, peractis studiis, id agite, ut bona, quam de Vobis ipsi movistis, exspectatio confirmetur et hasce primitias laeta aliquando et uberrima messis sequatur!

Videtis, Optimi commilitones! quam dulce sit et quam iucundum, in nobili hac palaestra praemio condecorari. Nolo festo die vos reprehendere

et de paucitate eorum conqueri, qui hoc anno in arenam descenderint; sed id me velle tamen significo, ut de victoria reportanda nemo vestrum unquam desperet nobilior. Mox novi in Academia Traiectina aperiuntur ludi. Accingite vos, quotquot e meliori luto finxit praecordia Titan, eoque acrius et alacrius de palma contendite, quo maior esse solet peregrina laus quam domestica! Hoc agite omnes, ut in hac vita brevi longam artem sedulo colatis, et quae a Vobis exspectant parentes, flagitat Academia, poscit patria, haec in quocunque disciplinae aut vitae genere aliquando praestare possitis.

Dicenda dixi et agenda peregi, Auditores! Vobisque omnibus, qui humanitate vestra et benevolentia me dicentem sustentastis, gratias ago. Nihil restat quam ut munus rectorale in Te conferam Tibique tradam, Clarissime Suringar! quem in annum sequentem Rex designavit rectorem magnificum. Salve, Vir Magnifice, iterumque salve! Sit Tibi propitius D. O. M., Teque Rectore hanc nostram carissimam Academiam salvam esse iubeat.

DIXI.

ANNOTATIO

P. 3. *decessorem meum — dixisse.* Vid. *Oratio de iis, quae Academiae Lugduno-Batavae anno* 1865—1866 *tristia et laeta acciderunt, quam habuit Rembertus van Boneval Faure, die* 8 *Febr.* 1866. L. B. apud Jac. Hazenberg, Corn. fil.

" 4. *ut in ipsa hac Academiae luce* cet. Conf. *Oratio* mea inauguralis *de Institutione Academica, ad futurum sacrorum antistitem formandum aptissima.* L. B. apud P. Engels. 1856.

" 7. *in oratione rectorali collega meus — Traiectinus.* Vid. *Jacobi Isaäci Doedes Oratio de libertate cum Theologiae, tum etiam Ecclesiae christianae strenue vindicanda, habita d.* 21 *m. Mart. a.* 1865. Trai. ad Rhen. apud Kemink et fil.

" 10. *apud Ioannem*, Eu. C. XIV. 6.

" " *spiritum promisit divinum*, Eu. Io. C. XIV. 16, 17, XVI. 13.

" " *ita ille*, in I Ep. ad Cor. C. X. 15 et I ad Thess. V. 21.

" " *κενοφωνίας.* Cf. I Ep. ad Tim. VI. 20.

" " *sibi datum esse gaudebat* cet., in I Ep. ad Cor. II. 12.

" " *eodem hoc collustrari voluit — spiritu* cet., in Ep. ad Eph. I. 17—19, III. 18, 19.

" 12. *ut studii theologici — summa haberetur ratio.* Conf. *N. C. Kist*, in *Archief voor de Kerkelijke Geschiedenis*, T. IX. p. 521—523.

" 15. *ita verissime Cicero*, De Nat. Deor. II. C. 2.

" 16. *Ὃ οὖν — χωριζέτω.* Vid. Matth. Eu. C. XIX. 6.

" 18. *parentibus ortus honestis.* Natus erat Schrantius d. 24 m. Martii a. 1782.

" 22. *nobili e gente ortus.* Natus erat Cock d. 16 m. Iunii a. 1794.

" 25. *Gideon Ianus Verdam*, natus d. 2 m. Dec. a. 1802.

" 27. *testatus est — Kaiserus*, in Oratione rectorali, habita d. 8 Febr. a. 1858. Conf. *Annal. Acad.* 1857—1858. L. B. p. 17.

LIJST VAN SCHRIFTEN,

UITGEGEVEN DOOR

WIJLEN DEN HOOGLEERAAR

J. M. SCHRANT.

Mengelingen voor R. Katholijken, 3 deelen, 1807—1809 (voor het grootste gedeelte van J. M. S).
Reis van Pius VII naar Frankrijk, uit het Fransch vrij vertaald, met aant. 1807.
Het Leven van Jesus, een geschenk voor de jeugd, 1808, 1824.
Het Leven van Jesus verdedigd, 1809.
Sailer's Gebed des Heeren, 1809, 1839.
Kistemaker's Verhandeling over de Opperhoofdigheid van Petrus, 1810.
Sailer's Verkort Lees- en Gebedenboek, 1810, 1825.
De navolging van J. C., in vier boeken, uit het latijn vertaald, met aant., 1811, 1827.
Uitgelezen gedachten uit dat werk, 1814.
De gelukkige verlossing van Pius VII, Leerrede, 1814.
Leerrede over de pligten van onderdanen, 1814.
De waardige Herder geschetst, 1816.
Gezondheidslessen voor den kinderlijken leeftijd, bekroond door de Maatschappij tot Nut van 't Algemeen, 1816 (vertaald in het Fransch).
Aan de bewoners van het zuiden van Frankrijk, 1816 (vertaald in het Fransch).
Fenelon's Gesprekken over de welsprekendheid, 1817, 1829, met aant.
Redevoering over het aanbevelenswaardige der Nederlandsche Taal, 1818.
Zedekundige schoonheden, getrokken uit De navolging van J. C., 1818, 1827.
Hetzelve in het Fransch, 1819, 1827.
Hartelijke uitboezemingen tot J. C., 1819, 1827.
Devotions envers J. C., 1819.
Vondel's Gysbrecht van Amstel, 1819.
Hulde aan J. B. Hellebaut, 1819, met aant.
Ontdekking van het graf van den Graaf van Egmond, 1819 (uit het Fransch).
Redevoering over de eer, als voedster der kunst, 1820.
Oratio de patrii sermonis studio Jurisconsultis quammaxime commendando, 1821.
Reflexions d'Iren. Cath., 1821.

Redevoering over het gevoel van eigen zelfstandigheid in betrekking tot de volkstaal, 1821.
Redevoering over het hoogst belangrijke van de beoefening der volkstaal voor den Regtsgeleerde, 1822.
Verhandelingen over den Bijbel, 1823 (vertaald in het Fransch).
Verhandeling over de lotgevallen der welsprekendheid bij de oudere en latere volken, 1824.
Kort overzigt van de geschiedenis der Nederlanden, 1823, 1824, 1827, 1828 (vertaald in het Fransch).
Bijzonderheden uit het Leven van Jesus, Schoolboek, 1825.
Sailer's Klein gebedenboek, 1825.
Antwoord aan den schrijver der Aanmerkingen op het Leven van Jesus, 2 stukjes, 1825 (in het Fransch).
Beknopte Nat. en Staatk. beschrijving der Nederl., 1826 (in het Fransch vert.).
Lofrede op Godfried van Bouillon, met aant., 1826.
De Gramschap, in drie boeken. Een Latijnsch en Vlaamsch leerdicht, door Liv. de Meijer, met aant., 1827.
Bloemkorfje voor jonge lieden, 1828.
Proeven van Ned. dichtkunde, uit zeven eeuwen, 1827.
Proeven van Ned. prozastijl, als voren, 1829.
Redevoeringen en Verhandelingen, twee deelen, 1829, 1845.
Het oproer te Antiochië, met aant., 1829.
Verhandeling op het nietachten der moederlijke taal, 1829.
Uitgelezene dichtstukken van Justus de Harduyn, 1830.
De opstand der Belgen getoetst, 1831.
Redevoering over den waren volksroem, met aant. 1834.
Brief, betrekkelijk tot eene Recensie, 1835.
Bloemlezing uit de Christelijke oudheid, deel I, 1836.
Vondel's Joannes de Boetgezant, met aant. 1840.
Le livre des Rois et des Grands, extrait de Massillon, 1841.
Het boek der Koningen en Grooten, getrokken uit Massillon, 1841.
Zedespiegel, 1842.
Le livret d'or, extrait du Livre de l'Imitation, 1842.
Oratio de Arminio, Cheruscorum, et Claudio Civili, Batavorum ducibus inter se comparatis, 1844.
Over de voordragt des redenaars, of over de uitspraak en het gebaar, 1845.
Regelen betrekkelijk de voordragt des redenaars, 1845.
Lofrede op Alfred den Groote, met aant., 1845.
Uittreksels uit de Ned. Historiën van Hooft, 1846.

Keur van Paarlen uit Vondel, 1846.
Geschiedenis des Vaderlands voor de scholen, 1848.
Kanselredenen over de gelijkenis van den Verloren Zoon, 1849.
Hoofdregelen over stijl en welsprekendheid, 1849.
De Kimbren en hunne lotgevallen, 1850.
Vondel's Gysbrecht van Amstel, met aant., 1851.
Oud-Neêrland's Rijm en Onrijm, 1851.
Lyttleton, de waarheid van het Christendom betoogd, 1852.
Taciti Germania, met aant., 1855.
Vondel's Lucifer, met aant., 1856.
Athanasia, of de gronden van mijn geloof aan eene voortduring na dit leven, 1857.
Bloemlezing uit de schriften des N. Verbonds, 1865.

SCRIPTA,

QUAE EDIDIT

HENR. COCK, V. C.

Commentatio de alea, a Facultate Iuridica Traiectina d. 2 Aprilis a. 1818 praemio ornata.
Commentatio de fine, poenis proposito, cum ex rei veritate tum ex doctrina Iureconsultorum Romanorum, Groningae d. 8 Oct. 1818 praemio ornata.
Commentatio de iudiciis iuratis, quam d. 8 Febr. 1821 praemio ornavit Iureconsultorum Ordo Leidensis.
Disputatio Iuridica Inauguralis, d. 28 Maii a. 1821 publice defensa, de argumento ex analogia eiusque a legis interpretatione differentia.
Oratio de philosophico iurisprudentiae studio et ad fructum uberrimo et ad voluptatem suavissimo, dicta Daventriae d. 13 Iun. a. 1822.
Oratio de iuris publici universalis studio ad civitatis pacem otiumque fructuosissimo, dicta Lugduni-Batavorum d. 8 Febr. 1826.
Oratio de iure gentium Europaeo temporum nostrorum conversionibus vehementer labefactato, dicta d. 8 Febr. 1836.

SERIES OPERUM

VIRI CLARISSIMI G. J. VERDAM.

1823. Commentatio de linea lorodromica. Gand. 56 pag. 4to, cum duabus figuris.
Commentatio de superficierum regularium angulis et soliditate. Gron. 79 pag. 4to, cum duabus figuris.

1824. Commentatio de theoria maximorum et minimorum. L. B. 100 pag. 4to, cum figura.
Commentatio de theoria compositionis virium. Trai. 243 pag. 8vo, cum duabus figuris.

1825. Commentatio de vi, qua corpus e luna sit proiiciendum in tellurem. L. B. 28 pag. 4to, cum figura.
Dissertatio philosophica, in qua ratione mathematica et physica quaeritur de mensura, constructione et munitione aggerum terreorum, ad lacus, fluvios et mare ab agris humilioribus arcenda.

1828. Gronden der toegepaste werktuigkunde. Gron. 8vo, Inleiding, 174 bl., 5 platen.
1829. Eerste Deel, 371 bl., 5 pl.
1830. Tweede " 159 en 319 bl., 4 en 8 pl.
1831. Derde " 99 en 217 bl., 4 pl.
1837. Vierde " Over de stoomwerktuigen, in drie Afd., met atlas van 31 pl. 28, 433, 20, 804 pag.

1834—1838. Grundsätze der angewandten Werkzeugwissenschaft und Mechanik. Aus dem Holländischen übersetzt von Dr. C. H. Schmidt. Weimar, 4 Bände, 8vo.

1840. Oratio de artium et institutorum, quae ab industria vocantur, progressu et perfectione, recentiorum mathematicorum diligentissimis pervestigationibus atque egregiis inventis magnam partem tribuendis. 14 pag. 4to.

1842. Sur une règle particulière pour trouver l'équation d'une ligne ou d'un plan tangent une courbe ou une surface du second degré. — Note relative à la construction de la chaînelle (Grunert's Archiv, B. 2. S. 188—196).

1842. Lettre sur le Problème de Snellius. (Ibid. S. 210—212.)
Over de tafelen van Elliptische Bogen, berekend door den Hoogl. Schmidt, alsmede over de herleiding van eenige voorname, algemeene en bijzondere, Integraal-formulen tot Elliptische Functiën. (Het Instituut, bl. 57—79, 166—168.)

1844. Bijdrage tot de meetkundige beschouwing van de hyperbolische Paraboloide. (N. Verhand. K. Ned. Inst. 1e. kl., D. X, bl. 1—53, met 2 platen.)

Over eene uitbreiding van een gedeelte der elementaire Meetkunde. (Het Instituut, bl. 211—246, 271—298.)

Ueber das Integral $\int \frac{dn}{x}$ (Grunert's Archiv. B. 4. S. 221—223).

Summarium der Goniometrie en der regtlijnige Trigonometrie. Leiden, 56 bl., 8vo.

Id. der sphaerische Trigonometrie. Ib. 51 bl., 8vo.

Handleiding bij de beoefening der sphaerische Trigonometrie. Ibid., 8vo, 70 bl.

1846. Opmerking over zekere soort van kromme lijnen, welke men omgekeerde of tegenovergestelde kromme lijnen zou kunnen heeten (N. Verhand. K. Ned. Inst., 1e. kl. D. XII, bl. 67—93).

Geschiedkundige Aanteekening betreffende de algemeene oplossing van derde machts-vergelijkingen (Het Instituut, bl. 163—177).

1848. Bijdrage tot de beschouwing der Lemniscaten (N. Verhand. K. Ned. Inst., D. XIII, bl. 81—162, 1 pl.).

Note sur une manière particulière de déterminer les équations des lignes courbes en faisant usage de la décomposition et de la composition de vitesses, suivant les règles de la Dynamique (Grunert's Archiv., B. XI, S. 13—25).

Leven van den Hoogl. Jacob de Gelder (Alg. Konst- en Letterbode, N°. 46—54, 86 bl., 8vo.).

Summarium van beginselen, beschouwingen en voorschriften, ontleend uit de redeneerkunde, en welker kennis noodzakelijk is voor het verstand en voor het gebruik der wiskundige methode. Leiden, 8vo.

1848. Grundsätze, nach welchen alle Arten von Dampfmaschinen zu beurtheilen und zu erbauen sind. Weimar, 8vo, mit 23 Taf.

1849. Verslagen ingediend aan de 1ste klasse van het Kon. Ned. Instituut over eene brochure van den Heer J. A. Scholten, den titel voerende: Gedachten over de Wind- of Stoombemaling voor polders, benevens eenige opmerkingen omtrent het Stoomtuig de Leeghwater (Tijdschr. v. Wis- en Natuurk. Wetensch., D. II, bl. 1—11).

1850. Oplossing van een voorstel betreffende de omstandigheden der beweging eener gespannen snaar (Ald., D. III, bl. 225—246).

J. de Gelder's Beginselen der Differentiaal-, Integraal- en Variatie-Rekening. 2e D. 's Hage (vel 30—36).

Verhandeling over de methode der kleinste Quadraten. Gron. 1e afl. 4°, 214 bl., 1 pl.

Summarium der Goniometrie. 2e druk.

Id. der Wiskundige methode. 2e druk.

1852. Eenige opmerkingen, betrekking hebbende tot de Umbilici der Ellipsoïde en tot de rectificatie der ellips (Tijdschr. v. W. en N. Wet. D. V, bl. 42—85, m. 2 pl.).

Eenvoudig bewijs van de waarheid der stelling, dat de declinatie, welke het slingervlak van een eenvoudigen slinger, ten gevolge van de omwenteling der aarde en hare as ondergaat, evenredig is aan de sinus der breedte van de plaats, alwaar de slinger in beweging is (Ald. D. V, bl. 126—133, m. 1 pl.).

Verhandeling over de methode der kleinste Quadraten. Gron. bl. 196, 4°.

1853. Oratio Rectoralis de iusta pertractandi et veri investigandi ratione systematica, a mathematicis temerius neglecta, diligentissimo studio disciplinas mathematicas perficientibus earumque ambitum amplificantibus. L. B.

1856. Handleiding bij de beoefening enz. 2e druk.

Summarium der methode. 3e druk.

Id. der Goniometrie. 3e druk.

1862. Bijdrage tot de meetkundige theorie der hoofdassen van ligchamen (Verslagen en Mededeelingen der Akademie v. Wetensch. Afd. Nat. D. XIV, bl. 149—269).

1863. Aanteekening op de vorige Verh. (Ald. D. XV, bl. 376—388).

1864. Bijdrage tot de toepassing van het beginsel van d'Alembert, overeenkomstig de rekenwijze van Lagrange (Ald. Verhandd. D. X, bl. 1—99).

1866. Handboek der sphaerische Trigonometrie. Leiden, 295 bl., 8vo, 4 pl.

ACTA ET GESTA IN SENATU,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

A. 1866.

Die 7 m. Martis. Recitantur litterae Curatorum, datae die 27 m. Februarii Senatum certiorem facientes, virum excellentissimum Ministrum Regis res internas curantes statuisse, ut viro cl. D. Bierens de Haan, Prof. Extraord. cum in Senatu, tum in Ordine Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum suffragii ferendi ius tribuatur. Decretum Regium diei 19 Febr. 1867.

Eodem die vir cl. Heynsius munus auspicatus est, habita oratione: *Over het tegenwoordig standpunt der physiologie en haar verband met de geneeskunde.*

Die 10 m. Martis. Vir Dr. Zaaijer munus auspicatus est, habita oratione: *Het gewigt eener doelmatige ontleedkundige techniek.*

Die 21 m. Martis. Vir cl. Boogaard munus auspicatus est, habita oratione: *De anatomisch physiologische rigting in de hedendaagsche geneeskunde.*

Die 6 m. Octobris. Recitantur litterae Curatorum datae die 15 m. Iunii, Senatui nuntiantium a Rege Augustissimo, decreto diei 6 m. Iunii nº. 44, Professorem extraordinarium in Facultate Philosophiae Theoreticae et Litterarum humaniorum creatum esse virum Doct. M. I. de Goeje, Interpretis legati Warneriani Adiutorem secundum, et eiusdem legati Interpretem doctissimum P. de Iong, hucusque huius legati Interpretis Adiutorem primum.

Recitantur litterae Curatorum datae die 25 m. Sept. nuntiantium a Rege Augustissimo, die 23 m. Iulii, virum doct. P. de Iong, Interpretem legati Warneriani titulo Professoris esse ornatum.

Eodem die vir doct. M. I. de Goeje munus auspicatus est, habita oratione: *De belangrijkheid van de beoefening der Arabische taal- en letterkunde.*

Die 12 m. Decembris. Candidati quatuor, e quibus Rector Magnificus in proximum annum academicum a Regio decreto constituatur, designantur viri clarissimi:

W. F. R. Suringar,
R. P. A. Dozy,
I. C. G. Evers,
I. E. Goudsmit.

Candidati e quibus Actuarius constituatur, designantur viri clarissimi:

L. W. E. Rauwenhoff,
W. F. R. Suringar,
R. P. A. Dozy,
R. T. H. P. L. A. van Boneval Faure.

Creantur in annum sequentem Assessores viri cl. A. Rutgers, F. W. Krieger, I. de Wal et A. Kuenen.

Rector Senatum facit certiorem de obitu viri cl. Schrant, Prof. emeriti, qui accidit die 5 m. Aprilis et de obitu viri cl. Cock, qui accidit die 20 m. Octobris.

Die 8 m. Febr. Recitatur epistola Curatorum data die 25 m. Ian., qua Senatus fit certior virum cl. Bierens de Haan, Prof. Ord. esse creatum decreto Regis 24 m. Dec. a. 1866 n°. 90.

Recitatur epist. Curatorum data die 8 Febr. qua continetur Regi Augustissimo placuisse Rectorem Magnificum in annum sequentem creare v. cl. W. F. R. Suringar. Decretum 31 m. Ian. n°. 52.

Rector refert a Curatoribus Actuarium Senatus creatum esse cl. L. W. Rauwenhoff.

Rector Magnificus cum Senatus reliquisque Professoribus in auditorium maius descendit et, adscensa cathedra, orationem habet: *De schola et ecclesia in re Christiana arcte coniunctis nec unquam disiungendis.* Deinde, enarratis fatis Academiae et promulgatis Ordinum de certamine litterario hoc anno indicto iudiciis, ornatissimis L. Bleekrode et G. C. I. Schoor praemia adiudicata porrigit.

Mox, solemnibus verbis deposito magistratu, e cathedra descendit.

Novum Rectorem Magnificum Professores deduxerunt et officiosissime salutarunt.

IUDICIA ORDINUM

PROMULGATA

A

RECTORE ET SENATU

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE

DIE VIII FEBRUARII ANNI CIƆIƆCCCLXVII.

IUDICIUM ORDINIS THEOLOGORUM.

Theologorum Ordo ad quaestionem propositam:

„Enarretur historia ecclesiae Christianae, quae Romae fuit, ad me-„dium usque saeculum tertium,"

unam tantum responsionem accepit, his Tertulliani verbis insignitam: *„Si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est"* (*de Praescr. Haer.* c. 36).

Dedit huius disputationis auctor multa quidem eruditionis solidioris et diligentiae haud spernendae specimina, et plurima congessit, quae ad ecclesiae Christianae universae historiam antiquissimam pertinent; sed ecclesiae, quae Romae fuit, iustam rationem non habuit. Haud pauca attulit prorsus aliena, alia prolixius quam par erat exposuit, in nonnullis examinandis lapsus est, et — quod inprimis dolendum — in disquisitionibus praeviis ita haesit, ut ad ipsam historiae enarrationem vix perveniret. Praeterea, neglectis nostratibus aliisque recentioribus, unos fere theologos Tubingenses duces secutus est ipsosque fontes, e quibus potissimum historia

erat haurienda, parcius adiit. Denique stilo usus est parum eleganti, nonnunquam subobscuro. Quapropter Ordo censuit, auctorem aureo praemio non condecorandum esse, sed suam tamen ita probasse industriam, ut publice laudari mereatur. Hic vero, licet evocatus, nomen suum professus non est.

IUDICIUM ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

A Facultate Disciplinarum Mathematicarum et Physicarum duae propositae sunt quaestiones: ad unamquamque una allata est responsio.

Qui respondit priori quaestioni: „*exponatur dilucide et ad criticam rationem theoria mathematica et physica de effluvio fluidi elastici e vasis, quo continetur, orificio exiguo et tenuissimo*" commentatione inscripta symbolo: „*Verus experientiae ordo primum lumen accendit, deinde per lumen iter demonstrat. Baco, Novum organum Scient. LXXXII*", non ab omni parte ita rem intellexisse videtur, ut voluerat Facultas, verum maiorem rerum ambitum sibi inquirendum sumsit. Quam inquisitionem ita instituit et perfecit ut plane ostenderet, theoriam se et mathematicam et physicam, de qua agitur, bene perspectum habere, neque etiam ignorare, quae recentiores in hac parte physices protulerunt. Ipsius vero theoriae mathematicae, propter rerum quas tractavit rationem, plenam et absolutam expositionem non dedit. Suum tamen argumentum clare exposuit et systematice, quemadmodum in rerum natura describenda decet. Et ex tota commentatione bene de scriptore sperare licet, et confidere cum laude eum aliquando in disciplinis mathematicis et physicis esse elaboraturum.

Quibus de causis Ordo commentationem auro ornandam censuit. In schedula scriptorem se professus est.

LUDOVICUS BLEEKRODE,

Math. et Phil. Nat. in Acad. Lugd. Bat. Candidatus,

qui sese, instituto examine, auctorem esse Facultati abunde probavit.

Alteram quaestionem Ordo proposuit: *"Accurata et omnibus numeris absoluta expositio illius quam Chymici Typorum vocant theoriae."* Ad hanc quaestionem responsio una inscripta erat his Propertii versibus: *"Quod si deficiant vires, audacia certe Laus erit, in magnis et voluisse sat est."*

Censuit Ordo hanc disputationem se diligentiae, eruditionis, et iudicii dotibus commendare, et auctorem universam quaestionem singulasque eius partes, adeoque Chymiae recentioris theoriam perspicue explicuisse. Typorum chymicorum theoriae ortum et progressus, corporum compositorum classes secundum eam theoriam atque elementorum, seu corporum simplicium, naturam et compositionis quae vocatur vim, egregie exposuit et exemplis illustravit auctor; denique huius theoriae praetium et auctoritatem ostendit.

Itaque non dubitavit Ordo huic disputationi praemii honorem tribuere. Aperta schedula, eodem, quo commentatio, symbolo munita, illius auctor repertus est

GUILIELMUS CAROLUS IOHANNES SCHOOR,
Math. et Phil. Nat. in Acad. Lugd. Bat. Studiosus,

qui praestantissimus iuvenis Ordini abunde probavit, se illius disputationis esse auctorem.

IUDICIUM ORDINIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM.

Ad quaestionem priorum:

Fontibus antea expositis atque examinatis populi Iudaei Historia et Chasmonaeorum res gestae inde ab Antiocho Epiphane usque ad Pompeii in Iudaeam adventum accurate et eleganter enarrenter.

De dubiis, quorum disquisitio ordinem narrationis turbare possit, separatim in adnotationibus disputetur:

unum Ordo responsum accepit inscriptum: *quis inter deos* etc.

In hoc responso fontes, e quibus Iudaeorum historia hauriri potest, pauci nominati sunt, examinati nulli.

Ipsa historia neque accurate enarrata est neque eleganter. Conditio populi externa et interna pro parte tantum exponitur. Relatio Iudaeos inter et exteros non definitur. Ingenium Iudaeorum, eorum rationes et consilia, vis religionis et sectarum certamina, scientia militaris, cet. non explicantur. Principum Chasmonaeorum indoles, aliorum religionis libertatisque studium singulare et summa reipublicae gerendae prudentia et imperatoria virtus eximia, aliorum inertia et prava partium studia parum explicata sunt.

Oratio impolita est et saepe vitiosa.

Itaque censuit Ordo hoc responsum neque praemio dignum esse neque honore.

Ad alteram quaestionem:

Eorum, quos Demosthenes habuit in rep. adversarios, vita et res gestae enarrentur, ingenium et mores describantur, deque eorum rationibus et consiliis iudicium feratur:

nullum Ordo accepit responsum.

ORDO MEDICORUM

ad quaestionem propositam nullum accepit responsum.

IUDICIUM ORDINIS IURISCONSULTORUM.

Ordo Iurisconsultorum duas proposuerat quaestiones ad quarum unam responsum nullum accepit.

Ad alteram, qua rogatum erat, *ut institueretur disquisitio "de Revisione in causis poenalibus"* unam accepit commentationem, notissimo sed haud inepto inscriptam lemmate *"ut desunt vires, tamen est laudanda voluntas."* In quo quidem opusculo, licet nonnulla deprehendantur, quae auctoris

diligentiam demonstrant, plura tamen occurrunt, quae iustam censuram merentur. Scilicet non ipsa auctor pervestigavit principia, ad quorum normam leges de ordine iudiciorum publicorum in gravissimo revisionis loco exigendae sunt, sed magis exponere conatus est, quae diversis temporibus de hoc argumento legibus populorum scitisque fuerint constituta. In his vero eruendis plerumque non ipsos adiisse fontes dicendus est, sed potius recentiorum scriptorum fidem ita secutus esse, ut studii magis laborisque pertinaciam, quam vel iudicii subtilitatem vel doctrinae copiam probaret. Praeterea propositi argumenti cum aliis iuris criminalis capitibus nexum demonstrare adeo neglexit, ut inquirere prorsus omiserit, quid valeat huius instituti necessitas a recentissimis quoque legislatoribus comprobata ad impugnanda certa poenarum genera, inprimis poenam capitis. Tandem deficit virilis non minus quam nitida oratio, qualem postulabat argumenti natura et gravitas. Quibus omnibus de causis commentationem premio decorari non posse censuit Ordo.

REDEVOERING

OVER

HET TEGENWOORDIG

STANDPUNT DER PHYSIOLOGIE

EN

HAAR VERBAND MET DE GENEESKUNDE,

UITGESPROKEN

TER AANVAARDING VAN HET HOOGLEERAARSAMBT AAN DE HOOGESCHOOL TE LEIDEN,

DEN 7den MAART 1866,

DOOR

A. HEYNSIUS.

EDEL-GROOT-ACHTBARE HEEREN, CURATOREN DER LEIDSCHE HOOGESCHOOL!

WELEDEL-GESTRENGE HEER, SECRETARIS VAN HET COLLEGIE VAN CURATOREN!

HOOGGELEERDE HEEREN, RECTOR MAGNIFICUS EN HOOGLEERAREN DEZER HOOGESCHOOL!

EDEL-ACHTBARE HEEREN, AAN WIE HET BESTUUR DEZER GEMEENTE OF DE HANDHAVING DES REGTS IS TOEVERTROUWD!

WELEERWAARDE HEEREN, LEERAREN VAN DE GODSDIENST!

WELEDELE ZEERGELEERDE HEEREN, MEESTERS EN DOCTOREN DER WETENSCHAPPEN!

WELEDELE HEEREN, STUDENTEN AAN DEZE HOOGESCHOOL!

GIJ ALLEN, DIE DEZE PLEGTIGHEID MET UWE TEGENWOORDIGHEID VEREERT!

ZEER GEËERDE TOEHOORDERS!

Schoon en liefelijk zijn de trekken van het kind. Met welgevallen rust ons oog op de dartele sprongen, waarin de levenskracht en levenslust van den knaap zich openbaren. Maar hoe welgevallig die beschouwing ook zij, werkelijke belangstelling wekt zij, althans bij den onpartijdigen waarnemer niet. Eerst later, wanneer de knaap, tot een jongeling opgewassen, blijk geeft niet slechts van materiële, maar ook van intellectuele welvaart en kracht, treedt naast dit welgevallen belangstelling op. Wat belooft hij veel voor de toekomst! is de algemeene uitroep, wanneer hij met fier gelaat en open oog optreedt en de eerste blijken geeft in het openbaar van zijn zelfstandig bestaan. Niet zijn heden, maar zijn toekomst is dus ook dan nog de eigenlijke grond onzer opgewekte belangstelling. Die toekomst is de maatschappij, zijn maatschappelijk leven. Voor het individu op zich zelf mag het belangrijk zijn de eerste schreden op den ontwikkelingsweg — hoe wankelend ook volbragt — te kennen, de uitwendige

omstandigheden te waardeeren, die daarop invloed hebben uitgeoefend, — voor het algemeen heeft die kennis luttel waarde. Daarvoor is de mensch alleen van gewigt, indien hij tot een zelfstandig wezen, tot een individu ontwikkeld optreedt in de maatschappij, — wanneer hij met anderen, even als hij individueel denkende en handelende, in wisselwerking treedt en, al naar gelang van zijne innerlijke kracht, daarop invloed uitoefent. Van dien tijd is zijn pogen en handelen voor het algemeen van belang, — van dien tijd wordt de geschiedenis van het individu een deel van de geschiedenis der menschheid.

Evenzoo is het met de wetenschap gesteld. Voor elken afzonderlijken tak daarvan op zich zelven moge het van belang zijn den ontwikkelingsgang sedert de vroegste tijden na te sporen en de eerste wankelende schreden op dien weg uit het verre verleden op te delven, de tallooze slingeringen te kennen, waaraan hij was blootgesteld, zoo lang nog uitwendige omstandigheden meer dan eigen kracht de rigting bepaalde, waarin hij zou worden voortgestuwd, — voor de wetenschap in het algemeen wordt elk der takken eerst dàn van gewigt, als het ruwe voedingsvocht, in zijn loover verfrischt en veredeld, op den groei en bloei van het geheele organisme invloed uitoefent, — wanneer zij, den kinderjaren ontwassen en tot een zelfstandig wezen ontwikkeld, met hare zusterwetenschappen in wisselwerking treedt, en dat gewigt neemt toe, naarmate de invloed op hare zusteren grooter is. Van nu aan behoort de geschiedenis van elk der takken tot de geschiedenis van den boom der wetenschap.

Bedrieg ik mij niet, dan heeft de wetenschap, aan wier beoefening ik mij toewijdde en waarvoor ik verder leven zal, den kinderlijken leeftijd, vol van gedaanteverwisselingen, achter den rug, en hebben hare trekken de meer vaste, aan den mannelijken leeftijd eigene vormen aangenomen. De physiologie trad in onzen tijd met hare zusterwetenschappen in veelvuldige wisselwerking. Zij openbaarde in velerlei rigting de innerlijke kracht van haar bestaan; — zij oefende op hare zusteren in het algemeen een grooten, een overwegenden invloed uit, het meest op de aan haar nauw verwante geneeskunde. Zij leidde daar — en heerschte dus.

Voorzeker het zou niet onbelangrijk zijn dien invloed van het physiologisch onderzoek in het algemeen hier nader uiteen te zetten, maar die

beschouwing zou mij alligt te verre voeren van de hoofdzaak, die mij hier in de eerste plaats voor den geest staan moet, en bovendien mij brengen op een terrein, waarop de wegen mij minder bekend en voor mijn voet minder gebaand zijn, waarop ik, die als kind van de negentiende eeuw bij voorkeur den ijzeren weg kies, mij, zonder geleide althans, niet wagen durf. Ik bepaal mij derhalve tot de hoofdzaak en wensch U in dit uur te schetsen: *het tegenwoordig standpunt der physiologie en haar verband met de geneeskunde.*

Belangstelling in de verschijnselen der natuur is den mensch ingeboren. In onbeschaafden toestand wekken de grootsche verschijnselen een gevoel van afhankelijkheid, van eerbied, van schrik zelfs op. Bij hoogere ontwikkeling ontkiemt de zucht naar eene verklaring, naar de kennis van de oorzaak, die aan het waargenomen gevolg ten grondslag ligt. Ten allen tijde werd naar eene verklaring van de waargenomen natuurverschijnselen gezocht en niet het minst geldt dit van de verschijnselen, die de levende natuur aanbiedt. Doorloopt de geschriften der ouderen. Hoe vele theoriën over het leven zijn er uitgedacht! Maar de opgewekte dorst naar verklaring werd er niet door gestild. Eerst in het laatst der vorige eeuw werd de weg tot een dieper inzigt gebaand. Eerst in deze eeuw werd de leer van het leven, de physiologie, als wetenschap, geboren. Alle moeite die men zich geeft, om haar door een lang verleden te adelen, is naar mijne meening verspild. Hare geboorte dagteekent niet van dien chaos van ruwe waarnemingen, dien men voor hare jeugd wil doen doorgaan. Zij is eene jongere zuster van de zoogenaamde zuivere natuurwetenschappen, wier algemeene ontwikkeling ook eigenlijk eerst van het laatst der vorige eeuw dagteekent. Onder geleide daarvan heeft zij hare eerste schreden op haar ontwikkelingsweg gedaan, en al spoedig heeft zij zelfstandig dien weg vervolgd.

Zoo als natuurlijk is, heeft ook zij hare jeugd met hare droombeelden gehad. Zij meende, dat haar onderzoek alle verschijnselen des levens moest omvatten. Zij overschatte hare kracht. Met een glimlach bejegenen wij nu die ondoordachte pogingen, maar geheel anders was de indruk weleer. Zie b. v. hoe Schroeder van der Kolk nog in 1835 in zijne

voorlezing »Over het verschil tusschen doode natuurkrachten, levenskrachten en ziel" door die jongelings-ideeën is verschrikt en daardoor verleid wordt om met warmte de stelling te verdedigen, in onzen tijd naauwelijks begrijpelijk, dat de krachten van de bestanddeelen van ons ligchaam, althans van ons zenuwstelsel, waaraan onze psychische functiën gebonden zijn, hoewel overeenkomstig aan de algemeene krachten der natuur, toch geheel andere wetten volgen. Sedert dien tijd zijn, bij den vooruitgang der physiologie, al de argumenten, die door hem werden aangevoerd ter verdediging dezer stelling, achtereenvolgens vervallen. Met gebonden armen en beenen zou Schroeder van der Kolk zich dus in de magt hebben zien gevoerd van het materialisme, dat zijn vroom gemoed met kracht meende te bestrijden — tenzij hij, zoo als wel waarschijnlijk is, tot de erkentenis ware gekomen, dat die kwestie niet op het gebied van het natuurkundig onderzoek te huis behoort. In onzen tijd, G. T., is onder de physiologen de overtuiging bijna algemeen gevestigd, en zij is het ook bij mij, dat de verrigtingen van het geestelijk leven, hoezeer van stoffelijke indrukken afhankelijk, voor alsnog althans zeker buiten de grenzen van het natuurkundig onderzoek liggen. Zij laten om die reden de studie dezer verschijnselen en het opsporen van de wetten, die hen beheerschen, aan anderen over.

De physiologie in den tegenwoordigen tijd houdt zich bepaaldelijk bezig met de stoffelijke verschijnselen des levens en rigt daarbij haar oog op de scheikundige zamenstelling, de natuurkundige eigenschappen en den elementairen bouw der ligchaamsdeelen.

Eodem die. IOSUA L'ANGE HUET, Harlemensis, defenso specimine: *De methode der positieve filosofie volgens Auguste Comte*, Theol. Doctor, *magna cum laude*.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

D. 28 Maii. ADRIANUS THEODORUS VAN AKEN, ex oppido Klundert, defenso specimine: *De Hypocycloïde*, Math. Mag. et Phil. Nat. Doctor, *cum laude*.

D. 6 Iunii. FREDERICUS NICOLAUS OBBES, Arnhemensis, defenso specimine: *Over Fabia Nauovensis*, Math. Mag. et Phil. Nat. Doctor, *summa cum laude*.

D. 15 Sept. GUILLELMUS THEODORUS VROLIK, Amstelodamensis, defenso specimine: *Aanteekeningen over de ontleedkunde van den carpus der zoogdieren*, Math. Mag. et Phil. Nat. Doctor, *cum laude*.

D. 5 Oct. HENRICUS V. D. STADE, Amstelodamensis, publice defenso specimine: *Over warmteontwikkeling bij scheikundige verbindingen*, Math. Mag. et Phil. Nat. Doctor, *magna cum laude*.

D. 13 Nov. HERMANNUS HARTOGH HEYS, e pago Zouteveen, publice defenso specimine: *De methoden tot synthesis der organische ligchamen*, Math. Mag. et Phil. Nat. Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE MEDICA.

D. 6 Martii. IOHANNES VAN DEN BROECKE, Medioburgensis, defenso specimine: *Over de trichenenziekte*, Med. Doctor.

D. 22 Martii. ABRAHAMUS VAN DER SWALME, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

Eodem die. ABRAHAMUS VAN DER SWALME, Med. et Art. Obst. Doctor, defensis thesibus, Chir. Doctor.

D. 16 Aprilis. HERMANNUS SIMONS, Med. Doctor, e pago Benthuizen, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 24 Maii. HERMANNUS IOHANNES DE GRAAF, Lugduno-Batavus, Med. et Art. Obst. Doctor, defensis thesibus, Chir. Doctor.

D. 14 Iunii. DIDERICUS HULST, e pago Oosterblokker, defenso specimine: *Over de bloedingen uit de organa copulationis der vrouw*, Med. Doctor.

D. 19 Iunii. SALOMON ARRIAS, Surinamensis, defenso specimine: *Eenige waarnemingen van keering op de knie*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 20 Iunii. SYTZE GREIDANUS, Leovardensis, defenso specimine: *Chirurgische waarnemingen*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 26 Sept. SALOMON ARRIAS, Surinamensis, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. SALOMON ARRIAS, Surinamensis, Med. et Art. Obst. Doctor, defensis thesibus, Chir. Doctor, *cum laude.*

D. 12 Oct. DIDERICUS HULST, e pago Oosterblokker, Med. Doctor, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor.

D. 17 Oct. IANUS IACOBUS LANGELAAN, e pago Heemstede, defenso specimine: *Verslag aangaande het cholera-hospitaal te Leiden*, Med. Doctor.

D. 23 Oct. PETRUS BAKKER, Med. et Art. Obst. Doctor, Helderianus, defensis thesibus, Chir. Doctor.

Eodem die. SYTZE GREIDANUS, Med. Doctor, Leorardensis, defensis thesibus, Art. Chir. Doctor, *magna cum laude.*

D. 7 Nov. SUFFRIDUS HENRICUS HERMANIDES, Med. Doctor, Amstelodamensis, defensis thesibus, Chir. Doctor, *cum laude.*

D. 27 Nov. PETRUS IACOBUS BARNOUW, Maaslandicus, defenso specimine: *Verslag van de verloskundige kliniek en polikliniek aan de Leydsche Hoogeschool, gedurende den Academischen cursus* 1864—1865 *en* 1865—1866, Med. Doctor, *magna cum laude.*

D. 30 Nov. IOHANNES THEODORUS VAN DER CHIJS, Lugduno-Batavus, defenso specimine: *Laryngoscopische waarnemingen*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 4 Dec. HENRICUS CORNELIS ADRIANUS NICOLAUS EIKENDAL, Haganus, publice defenso specimine: *Over de Veratrine en haar gebruik bij rhumatismus articulorum*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 8 Dec. HENRICUS IOHANNES BETZ, Roterodamensis, publice defenso specimine: *Over de theorie der ontsteking*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 18 Dec. PETRUS IACOBUS ADRIANUS SLUYS, publice defenso specimine: *Verhandeling over Eczema en ziektegeschiedenis van eenen lijder aan Eczema Universale door den schrijver behandeld*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 2 Febr. IOHANNES CASPARUS GUILLELMUS FISCHER, e pago Heerenveen, publice defenso specimine: *Over de ontsteking van het hartezakje*, Med. Doctor, *cum laude.*

D. 5 Febr. PETRUS IACOBUS BARNOUW, Med. Doctor, e pago Maasland, defensis thesibus, Art. Obst. Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE IURIDICA.

D. 19 Febr. IACOBUS TEN BOSCH, Tielanus, defensis thesibus, Iuris Rom. et Hod. Doctor.

D. 20 Febr. LEONARD IOSEPHUS VAN OPPEN, e Heerlen, publice defenso specimine: *Verklaring van Art.* 969 *B. W.*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 16 Martii. OTTO FREDERICUS GROENINX VAN ZOELEN, Haganus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 19 Martii. IOHANNES IACOBUS BENTEYN, Haganus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 20 Martii. ANTONIUS VAN DEINSE, Dordracenus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 22 Martii. GIJSBERTUS IOHANNES HENRICUS HEERE, e pago Raamsdonk, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 23 Martii. MICHIELIS IACOBUS DE WITT HAMER, natus Goes, publice defenso specimine: *Over de arbeidsvereenigingen*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 13 Aprilis. ISACUS DE GREVE, Frankereanus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 14 Aprilis. IOHANNES NICOLAUS ANTHONIUS BUCAILLE, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 21 Aprilis. FRANCISCUS ARIUS DE GRAAFF, ex oppido Gorinchem, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. CHRISTIANUS GUILLELMUS KIST, Lugduno-Batavus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 15 Maii. LUDOVICUS IDZARDUS DOUWE SIRTEMA VAN GROVESTINS, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 22 Maii. EDUARDUS IOHANNES FREDERICUS LUCASSEN, e pago Voorburg, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 26 Maii. MICHAELIS VIRULY, e pago Vuren, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 8 Iunii. HUBERTUS PHILIPPUS DE KANTER, Briello-Hollandus, publice defenso specimine: *Onderzoek naar de regtsgeldigheid van het Code rural*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 20 Iunii. EWALDUS KIST, Lugduno-Batavus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 22 Iunii. GERARDUS DE BOSCH KEMPER, Amstelodamensis, publice defenso specimine: *De concessien volgens het Nederlandsch recht*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. NICOLAUS GERBRANDUS KNOOP KOOPMANS, Amstelodamensis, defenso specimine: *Macleods krediet-theorie*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. PIBO ANTONIUS BRUGMANS, Amstelodamensis, publice defenso specimine: *De beginselen van het hulp- en bergloon vol-*

gens het Nederlandsche regt, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude*.

D. 23 Iunii. WILHELMUS VINCENTIUS RECHNERUS CAROLIUS BAUD, Haganus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

D. 26 Iunii. CAROLUS LUDOVICUS VAN WOELDEREN, Eindhovensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

Eodem die. ALLARDUS PHILIPPUS RENERUS IACOBUS VAN DEN BOSCH TOT VERWOLDE, e pago Oosterhout, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

D. 29 Iunii. FREDERICUS VAN HOOGENDORP, Haganus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

Eodem die. IACOBUS GEORGIUS DE DOMPIERRE DE CHAUFEPIÉ, Haganus, publice defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

Eodem die. NICOLAUS GERARDUS STUFFKEN, e pago Haaften, defenso specimine: *Het wettelijk bewijs in strafzaken*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

D. 30 Iunii. IANUS GUILLELMUS VAN GOENS, Hoornanus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 9 Oct. AERT VAN DER GOES, Haganus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 19 Oct. GODEBTUS GUILLELMUS VAN DEDEM, e pago Dalfsen, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 20 Oct. IANUS DANIELUS CORNELIUS CAROLUS GUILLELMUS DE CONSTANT DE REBECQUE, Haganus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 24 Nov. CASPARUS HENRICUS MOENS, Campensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

Eodem die. HIERONYMUS NICOLAUS TEDING VAN BERKHOUT, Amstelodamensis, defenso publice specimine: *De reassurantie*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude*.

D. 29 Nov. IANUS FRANCISCUS SCHUURBEQUE BOEYE, Zierikzenianus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

D. 6 Dec. IANUS FERDINANDUS SCHELTES ELZER, Amstelodamensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude*.

Eodem die. SAMUEL IOHANNES VAN PALLANDT, Haganus, publice defenso

specimine: *De geldelijke verantwoordelijkheid der Ministers*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 7 Dec. LUDOVICUS RUYTERS, Mozatraiectanus, defensis thesibus, Iur. Rom et Hod. Doctor.

D. 11 Dec. IOHANNES CORNELIS VAN DER LEK DE CLERCQ, Zierikzenianus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

Eodem die. GUILLELMUS IANUS D'ARELUIS DE BOUROUILL, Groningensis, publice defenso specimine: *De wet houdende bepalingen voor het geval van wanbetaling van boeten in strafzaken* (*van* 22 *April* 1864, *Stbl. n°.* 29), Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 13 Dec. HENRICUS EDUARDUS KANN, Haganus, publice defenso specimine: *Overzigt der hedendaagsche Nederlandsche wetgeving in zake van laster, hoon en beleediging*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 15 Dec. CAROLUS ASSER, Haganus, publice defenso specimine: *de telegraphie in hare regtsgevolgen*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 21 Dec. HENDRICUS VAN DISSEL SZ., Lugduno-Batavus, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 15 Ian. DOUWE IANUS VAN DER GOOT, e pago Lappermeer, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 22 Ian. ADRIANUS IOHANNES ELIZA IOLLES, Amstelodamensis, publice defenso specimine: *Bijdrage tot de kennis van de ontwikkeling van de zeeassurantie in de Vereenigde Nederlanden*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 1 Febr. IUSTUS IACOBUS DE GRAAFF, Gorinchemsis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 2 Febr. AMEDECUS FRANCISCUS HUBERTUS BAUDUIN, Roermondensis, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 6 Febr. ALPHONSUS MARIA BERNARDUS HANLO, Amstelodamensis, defenso specimine: *Over zamenloop van misdrijven volgens de verschillende hedendaagsche wetgevingen*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 7 Febr. THEODORUS GUSTAVUS ADOLPHUS SLINGELAND, ex oppido Schoonhoven, defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doct., *cum laude.*

ACADEMIA

RHENO-TRAIECTINA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. XXVI M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXVI AD D. XXVI M. MARTII A. CIƆIƆCCCLXVII

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

HENRICUS CHRISTIANUS MILLIES,

SENATUS ACTUARIUS

OTTO VAN REES.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

C. G. OPZOOMER.
I. A. C. BOVERS.
H. C. MILLIES.
G. G. BRILL.
H. VAN HERWERDEN.

IN FACULTATE MEDICA.

G. I. LONCQ, CORN. IAN. FIL.
F. C. DONDERS.
L. C. VAN GOUDOEVER.
G. KOSTER.
A. L. S. GUSSEROW (munus auspicatus est d. 25 m. Ianuarii 1867).

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

R. VAN REES.
G. I. MULDER.
P. HARTING.
C. H. D. BUIJS BALLOT.
M. HOEK.
F. A. G. MIQUEL.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

B. TER HAAR.
I. I. DOEDES.
I. I. VAN OOSTERZEE.

IN FACULTATE IURIDICA.

G. G. VREEDE.
B. I. LINTELO DE GEER.
I. A. FRUIN.
O. VAN REES.

MEDICINAE LECTOR.

P. Q. BRONDGEEST.

LITERARUM HODIERNARUM LECTORES.

I. H. HISGEN, lit. germanicarum.
I. VENNING, lit. anglicarum.
M. A. E. ROBERTI, lit. francicarum.

DOCTORES ACADEMICI IN LABORATORIO CHEMICO.

A. REINECKE.
ED. MULDER.

ORATIO

DE

MONOTHEISMO ISRAELITARUM, DIVINAE PATEFACTIONIS TESTIMONIO,

CUIUS PARTEM PRONUNCIAVIT

HENRICUS CHRISTIANUS MILLIES,

D. XXVI M. MARTII, A. CIƆIƆCCCLXVII,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

ACCEDIT RERUM ACADEMICARUM ENARRATIO.

L. S.

Vix verba facere coeperam, quum ἐπίσταξις sermonem impedivit. Primum, dissuadentibus Medicis, pergere conatus, mox ipse sensi, orationem esse omittendam et, legi ut obtemperarem, mihi in brevissima fatorum academicorum enarratione esse acquiescendum. Hinc haec oratio partim tantum pronunciata est. Gratias autem, quas habeo, maximas ago auditoribus meis omnibus, imprimisque civibus academicis pro singulari, qua meos dicendi conatus exceperunt, humanitate. Multorum autem votis, ut hanc orationem brevi in lucem ederem, deesse nolui.

Scr. Trai. ad. Rh. m. April. 1867.

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES, VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI!

QUI HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

VARIARUM DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!

LECTORES, VIRI ERUDITISSIMI!

QUI PROVINCIAE ET CIVITATI REGUNDAE IURIQUE TUENDO PRAEESTIS, VIRI GRAVISSIMI!

SACRORUM ANTISTITES, ARTIUM AC DISCIPLINARUM DOCTORES ET MAGISTRI, VIRI PLURIMUM VENERANDI, DOCTISSIMI, CONSULTISSIMI!

CIVES ACADEMICI, COMMILITONES EXOPTATISSIMI!

QUOTQUOT AD HAEC SOLEMNIA CELEBRANDA CONVENISTIS, AUDITORES HUMANISSIMI, ORNATISSIMI!

Ab omni fere aevo orbis Orientalis plurimis gentibus fons fuit multorum bonorum. Post Alexandri Magni expeditiones, Graecorum et Romanorum cum Oriente commercium maxime rerum mirabilium famam ita per Occidentem sparsit, ut ad hunc paene diem nonnulli ibi quaesiverint, quae nusquam terrarum inveniri possunt, fontem iuventutis, haustum immortalitatis, metallorum in aurum mutationem, linguam avium, similia. Postea Persarum, Syrorum, Arabum, Turcarum exemplo excitati, Itali, Lusitani, Batavi, Angli, Franco-Galli, alii maxime opum conquirendarum causa illas regiones obierunt et etiamnunc adeunt. Sunt vero etiam alii, altiora petentes, qui quales nunc sint et olim fuerint eius orbis partes explorare et intelligere student. Dici vix potest, quantum emolumenti hoc maxime nostro saeculo flagrans studium iam caeteris gentibus, omnibus fere disciplinis, imprimis historiae generis humani eiusque originis, fatorum et conditionis attulerit. Sic iam accuratius variae, quae ab Alexandri M.

tempore parum tantum innotescere coeperant, Orientis partes distinguere, praeter Palaestinam regionesque vicinas, etiam Armeniam, Assyriam, Babyloniam, Persiam, Mediam, ingentem porro Indiam citeriorem et ulteriorem, regnum Sinensium et Iaponensium, insulas tandem remotissimas maris Indici explorare et in iis non tantum locorum situm et varietatem solique proventus, quos diversissimos in iis fert natura, plantas, animalia, sed maxime homines, varias eorum linguas, literas, historiam, mores, instituta pervestigare coeperunt, ita ut nunquam Oriens accuratius quam nostra aetate innotuisse dici possit.

In innumeris autem rebus illis nihil cognitu gravius quam homo, nihil in homine gravius quam religio: neque inde mirum, imprimis diversas illas totius orientis religiones, earum originem, principia, vim in hominum vita, historiam ita ad calculos esse vocatas, ut earum indoles iam satis bene diiudicari possit. Sic via fere videtur parata ad historiam mentis humanae in religione parienda et ad rationem, qua Numen Supremum religionem in hominibus excitavit, cognoscendam; sic quoque facilius instituitur comparatio inter illam, quae diu cognita Israelitis aeque ac Christianis habita est religio e fonte divino orta, et diversas illas recentius demum in lucem protractas Orientis religiones. Et profecto, si quid eximium habendum inter illa, quae accuratior Orientis investigatio attulit, hoc esse puto, quod ea probat caeteris omnibus longe praestare, nec tantum purissimam, sed vere divinam esse eam religionem, qua iam in summa antiquitate donati fuerunt Israelitae, quae servata et absoluta est a Christo Servatore. Sic illud maxime ni fallor elucet, summum bonum Israelitis concessum ex Oriente per Christum ad caeteras orbis gentes pervenisse. Hoc pro temporis angustiis paululum illustrare mihi est propositum; dicam enim *de Monotheismo Israelitarum, divinae patefactionis testimonio.* Benignas ut mihi dicenti praebeatis aures, AA. precor, non quidem propter orationis elegantiam, quam exiguam esse sentio, sed propter argumenti gravitatem et dignitatem.

Ad Monotheismum Israelitarum bene cognoscendum, iustus maxime requiritur fontium usus. Fontes illi sunt V. F. scripta, diverso consilio a variis auctoribus per longam saeculorum seriem in suae aetatis hominum

usum exarata; quibus consequens est, ut ad religionem, quae Israelitis fuit singulis temporibus cognoscendam, maxime scriptorum, propositum, aetatis diversitatem rationemque dicendi distinguere nos oporteat. Non enim solent illi scriptores systema, ut aiunt, religiones exponere, sed potius eius principia tradere, per formas cultus externi symbolicas mentes hominum pietatis sensu imbuere, praeceptis suis officia religionis animis inculcare. Alii, qualem se Deus probet in fatis hominum, potentiam omnino, sapientiam, iustitiam, gratiam divinam, tum in suae gentis historia tum in singulorum sorte conspicuam, ostendunt. Aliis cordi est, ipsis effatis divinis populum, reges, sacerdotes, cives monere, castigare, exhortari, consolari. Alii, secundis et adversis rebus excitati id agunt, ut pios animi sensus ipsi Deum quaerentes, invocantes, celebrantes effundant. Ubivis enim haec religio ad vitam spectat, eamque regere, illustrare, emendare et ad summum suum fastigium, ad interiorem puriorem que cum Deo communionem adducere studet.

Porro in his scriptis maxime aetates sunt distinguendae. Alia enim fuit minus exculta illa in vita simpliciore primorum hominum et Patriarcharum, de qua traditio fert, religionis forma; alia deinde multis legibus ad totam vitam regundam expressa, ritibus symbolicis definita, Mose auctore tradita religio, verus Monotheismus dicendus; alia quae deinceps secuta a Prophetis magis explicata, ad interiorem religionis indolem excolendam proposita; alia tandem quae post exsilium exculta est philosopha religionis tractandae ratio, sive doctrina religionis cum legis praeceptis ad mutatam hominum conditionem accommodandis coniuncta. In his vero omnibus maiores minoresve progressus conspicui, quibus spes excitata viaque parata est ad summam, perfectam, salutiferam, omnibus gentibus destinatam Christi religionem.

Nec minus apud auctores sacros sermonis indoles et propositum, dicendi forma antiqua, figurata, popularis, e cogitandi ratione Orientalium poetica nata, ad captum quoque rudiorum apta, distinguenda est a notionibus et formulis magis propriis, puris, veris; nam apud eosdem quoque in iis, quae de Deo docentur, ut in universis libris sacris, humana insunt divinis mixta. Qui ergo auctores sacros audit ex suo tempore ad illos homines loquentes, eum offendere nequeunt quae minus digne recteque de Deo enunciata

22*

videntur: anthropomorphismos et anthropopathismos dicunt. Et tamen fuerunt, quibus offensioni essent ea, quae de Dei oculis, manibus, pedibus, quae de Deo meditante, recordante, gaudente, dolente et similia leguntur. Talia vero in omnibus etiam cultissimis religionibus occurrunt, neque omnia a natura humana petita prorsus evitare potest animus et sermo hominum, e suae mentis modulo saepe sibi fingens Numen Supremum. Non ex singulis in religione dicendi formulis poeticis diiudicanda est notio de Deo, sed ex iis, quae illis formulis insunt, vel quae proprie et pure de eo enunciantur. In illis enim si subsistimus, similes videri possunt plures religiones, quia mens humana ubivis eadem reperitur. Valet hoc maxime de Monotheismo, cuius species quaedam apud multas gentes occurrere videtur, veritatem tantum tenuere Hebraei. Habuerunt quoque Graeci suum Iovem, dominum, sed primum inter pares; habuerunt Indi suum Brahma, sed ita de eo loqui solent, ut quas ei maxime proprias putares virtutes, eas mox quoque de aliis, Vishnu, Çiva, rel. praedicent, de multis diis ea enunciantes, quae tantum Summo Dei Numini sunt tribuenda. Ut qualis fuerit apud Israelitas Monotheismus intelligamus, omnia ea sunt attendenda, quae de Deo proponuntur. Ne afferam antiqua Numinis nomina, quae ex sensu magis universo apud gentes vicinas per addita quoque epitheta aliis etiam diis tribui solent, praeter commune illud Elohim sive divinitatis nomen, quo virtutum superiorum complexus significatur, Monotheismo proprium est illud, Mosi ut videtur primo cognitum, Iahvae nomen, quod ex antiqua interpretatione Numen quod maxime est, immutabile, aeternum, omnibus temporis vicissitudinibus superius designat, bene distinguendum ab isto naturae perennis symbolo, quod in templo Saitico celebrabat Aegyptus. Cum hoc nomine iunguntur notiones maxime sublimes de Numine Supremo: nihil est nisi Ille; quae exstiterunt, omnia per Eum, ex libero Eius arbitrio, ex summa Eius potentia, sapientia benignitate sunt orta; quae sunt in coelo et in terra, non tantum ex Eo originem ducunt, sed sustentantur etiam et reguntur omnia; omnium quae exstiterunt, sunt aut erunt, Ille est causa, fundamentum, vis; fuit ante omnia, est in omnibus, in aeternum erit: Ille tantum est. Sic ab initio S. S. proponitur in sublimi illa rerum originis historia, cuius interprete nunc gloriamur poeta nobili Batavo; hoc exprimit ipsa inde orta

Hebraeorum cogitandi loquendique ratio; hoc innumeris auctorum sacrorum effatis, neque unquam fortasse brevius, fortius, pulchrius quam uno illo Hannae carminis versiculo enunciatum est; „non est sanctus aeque ac Iahve, non enim est praeter te, neque est rupes vel praesidium sicut Deus noster." Non quidem ut apud philosophos Indos mens Hebraeorum ad illud cogitandi fastigium evehitur aut, si placet, tantopere inde delabitur, ut Numen Supremum omnium virtutum expers, tandem *nihil* dicatur, sed apud hos Deus prodit vivens, agens, cogitatione et voluntate excellens, ipsius vitae perfectissimae fons. Ut temporis, sic omnium rerum est auctor, nihil fit sine Eo, ubivis omnibus rebus praesens adest, in omnibus suum consilium exsequitur, omnia regit et moderatur. Quaecunque ingenium humanum suprema et optima cogitare potest, ea omnia superat mens illa perfecta, omni potestate, sapientia, sanctitate, benignitate praedita. Adest ubivis locorum, versatur in finibus coelorum aeque ac in abditis animi motibus; in omnibus naturae mutationibus et viribus Ille est efficax, quae praestantissima videntur in naturae ordine, in humani ingenii inventis, cuncta ab Eo efficiuntur; omnium omnino rerum Ille est principium, vis, perfectio. Qui ubivis rebus inest easque regit, idem quoque ita *τῶν ὁρατῶν* et *τῶν ἀοράτων* est superior, ut ipsi coelestes eius ministri immensum quantum ab eo distent. Coelum enarrat eius gloriam et terra eius benignitate est plena: sedet super sidera, praesens tamen adest miserrimis hominibus, eum invocantibus. Non enim naturae tantum auctor est et rector, constituit etiam ordinem moralem, creavit hominem ad sui imaginem, intellectu, ratione, libero arbitrio praeditum, ei naturae divinae semina insevit, ut ab ipso excolerentur et perficerentur. Auctor mentis humanae se cum ea non miscuit, sed voluit ut ea sponte sua ad suum auctorem perveniret, ad eius similitudinem eniteretur. Hanc ob causam non tantum per res terrestres sese humanis sensibus, sed etiam mente sua sese animis patefecit, vinculo conscientiae secum iunctos docuit, admonuit, iisque viam monstravit. Quum vero defecissent ab Eo mortales, summum bonum in terra servare voluit, unamque sibi selegit gentem, sanctissima illa amoris necessitudine, quod foedus divinum dicitur, sibi devinctam, ad regnum divinum in terris condendum, cuius finis hic est: sancti estote, nam ego Deus sum sanctus. Sanctitas enim in Numinis notione apud Israe-

litas est summum. Quaecunque sermone humano de Deo praedicantur, horum omnium summum est atque extremum: nihil ei esse oppositum, mancum, sed omnia bona, pura, perfecta esse, nam sanctus est. Sic quoque non nisi unus esse potest, non tamquam aliis superior, sed sanctissima sola omnium causa dicenda. Hinc in intimo tabernaculo vel in templo sanctissimum legis divinae testimonium Numen praesens significabat. Hinc nulla imagine, nulla rerum externarum forma, quod maxime puram servavit Israelitarum religionem, sed mente tantum humana agnoscendus, adorandus, colendus unus Deus. Praenunciant vero Prophetae etiam meliora tempora; fore enim ut, sublatis illis signis externis, Deus sese in mente hominum patefaciat, regem missurus illum divinum, sub cuius imperio omnes orbis gentes ad veri Dei cognitionem, cultumque salutiferum invitentur.

Pura autem illa et sublimis de uno Deo doctrina, quam exprimunt V. F. scripta, unde orta, quomodo nata sit, quaestio est gravissima. Ad hanc salvo historiae testimonio non aliter respondere possumus, nisi agnoscentes Monotheismum non ab Israelitis excogitatum, neque ab aliis gentibus acceptum, sed divinitus illis patefactum fuisse. Ne dicam illam esse interiorem huius de Deo doctrinae rationem, ut humanas cogitandi, meditandi, inveniendi vires longe superet, neque aliter quam ex suae veritatis luce in mentem humanam sese insinuare potuerit; spectanda imprimis est illius gentis Israelitarum origo, indoles, cultusque per omnem historiam ratio. Ex familia pastorum orta, post Mosen, Monotheismi conditorem, demum agriculturae dedita, sedes fixas tenuit et ad quendam cultum pervenit. Non incertae et obscurae antiquitatis est huius gentis origo: post exitum ex Aegypto una cum ipsius religione gens facta est, sine illa religione haec gens nunquam fuit. Quandam unius Dei cognitionem accepit procul dubio a maioribus suis: inter quos verae religionis semina inde a rerum humanarum primordiis servata fuerant. Plenam vero Monotheismi explicationem, eiusque cum religionis forma, cum gentis regimine, institutis, totaque populi vita coniunctionem ipsi patefactioni divinae in monte Sinai acceptam referunt. Procul dubio populi dux Moses fuit vir eximius, doctus, sapiens, pius: quomodo autem ille eius Mono-

theismi fuisset inventor, quem nunquam antea aut alibi mortalium ingenium excogitaverat, nec postea excogitavit? Quomodo autem novam illam doctrinam, si non omnes, saltem multi, quin plurimi ut veram accepissent, probassent, nisi ad eam praeparati tunc divinitus illam constitutam esse agnovissent? Multo minus huius doctrinae origo explicari potest ab iis, qui, quum omnem fidem documentis historicis negant, Patriarchas veteresque Israelitas turpissimae idololatriae fuisse addictos statuunt: quando et quomodo ex summis istis tenebris lux purissima orta sit, indicare nequeunt. Quantopere haec de divina religionis suae origine persuasio multorum saltem mentibus ab initio infixa fuerit, docent tempora sequentia, quum nec bella turbaeque intestinae, nec commercium cum gentibus idololatriae deditis, nec quae deinceps irrepsere superstitiones morumque corruptela, nec gravissima illa ad excidium paene iis illata exsilii poena, quid dicam, ne ipsa quidem reipublicae eversio populique per orbem dispersio, omnesque per multa saecula huius gentis vexationes, ad hunc usque diem illam ex animis evellere potuerint. Quod enim divinitus huic genti patefactum mentique instillatum, omnibus viribus terrestribus fuit superius, perire non potuit.

Accedunt autem alia ex ipsa populi conditione petita. Si unquam, illa saltem aetate gens Hebraea non fuit philosopha, non iis fuerant doctrinarum scholae, in lateribus coquendis aut metalli fodinis Aegypti non iis fuerat meditandi, disputandi, et in summas res inquirendi locus: homines erant rudiores, et licet iam unius Dei cultores, ad idololatriam tamen omnesque superstitiones proni, neque artibus, neque poesi, neque doctrina valde exculti. Disciplinas artesque diu demum post a Davidis et Salomonis aetate colere coeperunt: antea multi saltem ita mente debiles, ut reiecta avita pietate, neglectis signis divinis, facile ad vitulum aureum Aegyptiorum vel ad astrorum aliorumque Deorum cultum vicinis usitatum deflecterent. Si inter ipsos Israelitas nescio qua aetate nata esset sublimis haec religio, nullo ut opinor modo explicari posset, nec quomodo illa inter tot tantaque, quae ei erant opposita, accipi et probari potuerit, neque historiam de gravissimo hoc invento nullum verbum aut vestigium reliquisse. Quaestionis difficultatem nemo fortasse melius perspexit, quam Cl. Renan, qui ut illam solveret, Monotheismi originem ad ipsam gentem retulit et ex indole

quadam Semiticis gentibus propria explicare studuit. Multa omnino docte acuteque monuit: magis autem quomodo rei species eruditionis, ingenii, dicendique ubertate fingi, quam res ipsa probari possit, ostendit. Et historiae testimoniis et psychologiae legibus contrariam habemus illam sententiam. Cogitandi rationem plurimum pendere ex conditione vitae, eos, qui in sylvis vivunt, venatui, qui mari accolunt, piscatui esse deditos, animum humanum religionis esse capacem, omnes consentiunt: ad peculiarem autem illam Monotheismi religionem quomodo ex omnibus gentibus, cognatis, vicinis, sola mens Israelitarum, vel si quis mavult, quod tamen maxime negandum puto, Semitarum propensa, ad notiones illas sua conditione longe superiores fingendas indonea fuerit, non intelligitur. Omnino menti humanae inest ille Numinis cuiusdam sensus, sive originis superioris memoria, sive melioris conditionis desiderium, quem sensum non acceperunt, verum ex natura hauserunt, sed hic quam longe abest ab ipsa veritatis luce, a Monotheismo! Neque hanc doctrinam aliis cum Israelitis communem fuisse, probari posse puto. Si qua olim cognatis gentibus nota fuerint Monotheismi semina ex simili origine reliqua, ea non fuisse servata et exculta, sed mature interiisse historia docet. De Arabibus notum diu post multos ad Iudaeorum et Christianorum sacra transiisse, multos autem strenue servasse idololatriam, quae plurimorum antiquitus religio fuisse videtur. Monotheismum nihil habere commune cum vita nomadica, multarum gentium in media Asia et Africa historia pariter testatur. In universum Monotheismus, ut ab initiis huius gentis iam excultus et sublimis adest, neque ex externa, neque ex interna huius populi conditione explicari potest.

Qui hoc intelligebant, aliam ad quaestionem solvendam tentarunt viam et ad quamcunque fere cognatam aut vicinam gentem confugerunt, ut ab ea religionem illam Israelitis fuisse traditam probarent. Si vero hoc aliquo modo probare possent, parum sane proficerent, quum tunc quoque in huius doctrinae originem esset inquirendum. Hunc autem omnium recentioris aetatis investigationum fructum esse puto memoratu dignissimum, ut, quo accuratius antiquae religiones innotuerint, eo minus eas quidquam habere commune cum Monotheismo Israelitarum appareat. Quae hoc saeculo ex perpetuis quae videbantur tenebris aliquomodo reviviscere coepe-

runt veterum Aegyptiorum literae, nullum veri Monotheismi vestigium neque in antiquissimis, neque in recentioribus monumentis praebuerunt. Inter Cananaeos quae fortasse tenuis Deo Supremo fuit doctrina, brevi exstincta est et caeterae gentes, ex Abrahamo et Lotho ortae, aeque ac Phoenices, ad diversas idololatriae formas, saepe nefandas et saevas, delapsae sunt. Quae nuper enucleari coeptae sunt Assyriorum inscriptiones, ibi quoque, ut apud Babylonios, Indos, alios, polytheismum regnasse docent. In rebus naturae vires nonnullas divinas agnoverunt, ad ipsum naturae auctorem non pervenerunt. Neque aliter statuendum videtur de Persis, qui licet ab idolorum cultu alieni in iis, quae natura fert bona aut mala, distinguendis substiterunt, neque ultra lucis physicae auctorem adscenderunt. Licet multa adhuc obscura sint in Orientis historia, eo iam pervenisse videtur aetas nostra, ut tuto affirmari possit, nullam in Oriente, nullam in tota antiquitate fuisse gentem, quae quidquam habuerit quod a Monotheismo Israelitarum non longe distaret. Illam religionem ipsis fuisse propriam, probat etiam Israelitarum historia. Ab initio ab omnibus gentibus cognatis vicinisque fuerunt distincti, eamque ob causam iis ad finem usque odiosi, quod religionem haberent propriam. Iam in Aegypto tractum separatum tenentes, religione et institutis incolis facti sunt invisi, fueruntque mox gentibus Cananaeis, Syris, Babyloniis, et deinde Graecis quoque et Romanis, ut odio esse generi humano dicerentur. Ab incunabulis inde nihil se in religione ab aliis accepisse, testatur etiam hoc, quod piis Israelitis omnia alia sacra erant exsecrationi, derisioni, eorum cultores impuri, barbari. Hinc cum hac religione arctissime coniuncta est spes, a prophetis magnifice explicata, fore ut aliquando omnes gentes unum Deum adorare discerent, ut eius cognitio, cultus, imperium ad ultimos terrae fines extenderetur, sol iustitiae totum orbem illustraret. Non alienam, sed suam esse hanc religionem, hoc beneficium eximium divinitus sibi esse concessum, non ex ingenio humano, sed tantum ex patefactione divina illam esse ortam, divina quoque gratia inter gravissimos populi errores iteratamque defectionem perpetuo servari, confirmari, aliquando ita perfectum et propagatum iri, ut regnum divinum non tantum Israelitarum, sed omnium gentium esset futurum: fida haec persuasio, laeta haec spes ita piis Israelitarum animis infixae fuerunt, ut de nulla alia re essent certiores. Quod illi agnoverunt, hoc

ipsa huius doctrinae indole confirmatur, qua nihil usquam verius, sublimius, salubrius adfuit. Non quidem omnes illa curiosi ingenii quaestiones solvit, sed quod frustra tentarunt gentium religiones, ipsa mentem luce purissima illustrat, animum firmat et consolatur, virtutis studium excitat et ducit, Deum toto pectore, toto animo omnibusque viribus, proximum ut semetipsum amare docet, homini extremum, quod cogitari potest, consilium proponit, sanctus ut fiat similis Deo. Ut vero praeterito, sic quoque posteriore tempore adest historiae testimonium. Quum suam religionem puram servarunt, felix laetaque fuit Israelitarum conditio: a Deo deficientes graviores deinceps luerunt poenas. Tandem venit ille, ad cuius adventum verba et facta divina Israelitas praepararant, quem annunciarant prophetae perfecti regni divini auctorem, venit ille ipsius Dei filius, in quo Numen plene apparuit mortalibus, ipsum verbum divinum caro factum. Sustulit ille formam externam veteris Monotheismi et, puram religionem in mente et veritate positam esse tradens, hanc ex involucris ad plenam lucem adduxit. Deum unum in salutem generis humani Filio et Spiritu Sancto agere, summamque eius perfectionem amore constare docens, ipse vita et morte gratiae divinae testis, mortales ad Deum reducere, verum regnum divinum, regnum caritatis, veritatis, sanctitatis, omnibus hominibus salutiferum constituere coepit. Novo illo perfecti Monotheismi regno condito, evanuit pristinum. Dissoluta Iudaeorum republica, ipsi, qui optimum Dei donum reiecerant, dispersi sunt per orbem, beneficiorum et iudiciorum divinorum ad hunc usque diem testes. Ab eo inde tempore est Monotheismus, qui vi sua divina res humanas regere, veterum et recentiorum gentium idololatriam morumque corruptionem devincere coepit, qui lux salutis, spes laetissima est saeculis futuris. Qui verus ad hunc usque diem dicendus est progressus gentium, nonne unice nititur firma illa persuasione de uno Deo sanctissimo, de hominum tum redemptione per Christum, tum renovatione per fidem et caritatem? Frustra nunc praesidium quaerunt gentes in opibus, in militum tormentorumque bellicorum numero, in tyrannide aut libertate: non extra hominem salus sita, omnia superat vis divina in Christi regno fidei, veritatis, iustitiae, pacis. Profecto nisi haec est Providentiae divinae via in terris, nulla amplius mortalibus erit lux, norma, spes. Hoc autem si non tantum cre-

dimus, sed ipsius historiae testimonio ab antiquo aevo confirmatum esse intelligimus, certa laetaque nobis erit persuasio: esse Deum perfectum, qui se mortalibus patefecit et opus suum ab initiis rerum inceptum aliquando per Christum in terris sit perfecturus.

Quod breviter exposuimus argumentum, AA. nostro tempore imprimis grave habendum esse puto. Quae enim hodie regnat ingeniorum libertas dicam an licentia, omnia in dubium vocanda, nihil certi habendum, singula nova quadam ratione examinanda et explicanda esse censet. In multis rebus haec dubitandi ratio utilis fuit, in aliis, maxime in religione, noxia et periculosa, quum eo hodie pervenerint multi, ubi plurimi iam aerae nostrae initio dubii haeserunt Graeci et Romani, nullam ad veritatem esse viam divinaque omnia dubia, incerta esse habenda statuentes. Qui in negando acquiescere nequeunt, ad diversissimas suo ingenio fictas sententias, imprimis ad varias Pantheismi et Materialismi quas dicunt formas confugiunt. Nos itaque homunculi, qui res terrestres ex parte tantum novimus, nostro ingenio arcana coelestia, viam divinam in terra, Numinis regimen in rebus generis humani pro nostro arbitrio excogitare, fingere, invenire possumus, reiectis historiae testimoniis spretisque omnibus, quae fuerunt et adsunt? Quam vani et irriti sint hi conatus, in ipsa sententiarum diversitate brevi apparere solet. Maxime hoc inde explicandum, quod historiae testimonium negligitur. Disputant multi, num hoc illudve fieri potuerit, num aliquid hac vel illa ratione factum sit, res ipsas saepe non satis attendunt. Ab historia religionis Israelitarum multi oculos avertunt, quod eam investigare et agnoscere nolunt: rem potius obscuram, levem, difficilem dicunt, superbiam fuisse perhibent rudioris gentis, quae nonnullis rebus gloriata sit; quaenam autem sint illae res, quam graves, verae, sublimes, quanti ponderis in historia generis humani, non advertunt. Deum sese Israelitis istis immorigeris, stupidis, non autem gentibus cultissimis, Aegyptiis, Indis, Graecis patefecisse, paene ridiculum censent. Sic tamen teste historia rem se habere, facta divina non nostro modulo esse metienda, si omnia serio perpendunt, agnoscere debent. Qui enim quid ex historia de vera religione constet indagat, tanquam omnis veritatis fundamentum ex historia hoc, ni fallor, discet: iam in summa antiquitate apud parvum, minus excultum populum exstitisse illam puram,

veram de Summo Numine notionem, quam mens mortalium nusquam sua sponte invenire potuerit, ille tantum patefactioni divinae acceptam referat. Hoc est summum in terris bonum, quod parvus iste Orientis angulus accepit et servavit, donec ille venit, qui hoc fundamento superstruxit novum regnum divinum, ad omnium gentium salutem destinatum. Hoc, ut puto, omni dubitatione maius: ibi unam veram et salutiferam exstitisse religionem, hanc non huius gentis ingenio excogitatam, neque ab aliis acceptam esse, sed sua indole donum divinum probari. Firmatur hoc ipsis huius populi factis ad hunc usque diem, hoc est fundamentum, quo superstructa est illa Christi Servatoris religio, quae, ut omnes homines ad eximiam suae naturae praestantiam, ad beatam cum Numine Supremo communionem adduceret, mortalibus est concessa.

Lex et officium monent, ut hodie de anno Academico praeterito dicam, eiusque fata laeta et tristia commemorem. Fuit annus, quem non facile ex memoria deponas, fatis agitatus iniquis durisque casibus actus. Nam bona, dudum promissa, iniquis artibus tandem sunt parta; amiserunt plures Europae gentes, quam longo et difficili labore sibi comparaverant, libertatem; grave damnum subierunt humanitas et iustitia, victa iacuit pietas, adeo ut interdum poetae illud in mentem veniret:

virgo caede madentes,
Ultima coelestûm, terras Astraea reliquit.

Regnabat in patria nostra, maxime hac in urbe morbus letalis, quo saevior nullus, viduans civibus urbes atque arva colonis. Lues etiam dirissima maiore semper numero armenta auferre perrexit, multis incolis ruinam minitans. Et tamen nunquam animo satis grato gratiam divinam recordari possumus, quae tutam et incolumem servaverit patriam nostram, quae Academiam quoque nostram tranquillam florentemque esse siverit. Profecto insigne est beneficium divinum, quod in hac ipsa urbe, ubi mors omnibus imminebat, nullum neque Curatorum neque Professorum carum caput lugere debuimus, quin ex ingenti fere quingentorum Academiae civium numero, quorum vulgo quotannis nonnullos mors atra sibi deposcit,

hoc anno unum tantum amisimus, Iohannem Iacobum van Schaick, Rheno-Traiectinum, Theologiae studiis destinatum, qui Academiae nostrae potius ostensus quam datus, die 16 m. Iulii avi aviaeque non minus quam praeceptorum et amicorum spei votisque est ereptus.

Nec tamen nobis defuerunt alia tristia, quum plures vestrum cognatos, amicos desideretis. Amisimus omnes venerandam illam collegae desideratissimi Karstenii viduam, cui non diu superstites fuerunt vidua collegae coniunctissimi Visscher, et pater collegae aestumatissimi van Goudoever. Quam triste omen erat ille primus feriarum aestivarum dies, quo fidum nostrum apparitorem, Andream Guilielmum Holstege, in flore aetatis uxori et liberis repente ereptum audivimus, quam tristis viduae et pupillorum sors, quibus aliquomodo succurrere conati sunt et professores et studiosi. Deinde alii quoque vestrum acerba clade sunt afflicti: tibi Cl. Buys ademptus est filiolus, qui vix lumen adspexerat, tu, Cl. Hoek, iterum dilectissimam sororem iam adultam, Cl. Loncq, coniugem carissimam, Cl. Opzoomer, patrem venerandum, Cl. Koster, sororem unicam carissimam lugetis. Nuper tibi, Excellentissime van Rappard, cita morte ablatus est frater dilectissimus, omnibus qui eum norant, carus, tibi vero coniunctissimus, pariterque tu, Consult. van Hoytema, desideras fratrem, tibi liberisque suis ereptum. Renovare dolorem vestrum me non decet, sed vobiscum vitam meliorem hac vita defunctis vobisque omnibus optimum, quod Deus largitur, solatium exoptamus.

In fatis vero humanis lux tenebris adiuncta esse solet. Hoc grato animo tu expertus es, Cl. Miquel, quum tibi esset concessum memoriam celebrare nuptiarum per quinque lustra feliciter actarum. Sit ille dies tibi felix auspicium, diuque tibi serventur gaudioque esse pergant uxor liberique carissimi.

Tale exemplum vos facile excitare vel saltem faustissima quaeque vobis spondere potuit, tibi Cl. Koster, quum filiam collegae carissimi Karstenii tibi uxorem legisti, tibique, Cl. Doedes, quum in tuam et liberorum tuorum felicitatem secundas nuptias iniisti. Sint vobis uxores carissimae auxilio, solatio, gaudio, diuque fruamini sanctissimo illo amoris vinculo.

Alias cum Academia nostra nuptias celebrare tibi licuit, Cl. Vreede, quum amici et discipuli tibi in memoriam revocarent quinque lustra, quibus cum Academia nostra ita fuisti coniunctus, ut eius decus et ornamentum semper te praebueris. Utinam diu te nobis quoque servet D. O. M., ut munere strenue gesto fortiter fungi pergas!

Nec minus tecum laetati sumus, Cl. Rovers, quum dies ille tibi vix amplius notus, sed aliis memorabilis illuxerat, quo ante octo lustra munus academicum suscepisti. Quod profecto non multis contigit, per tam longum temporis spatium tres patriae nostrae academias tua eruditione, industria, virtute ornasti: innumeri fuerunt, ubique sparsi discipuli tui, quae tibi debebant, grato animo tunc maxime recolentes. Merita tua, dudum omnibus nota, Regem quoque Augustissimum palam agnovisse, multis gaudio fuit. Utinam D. O. M. diu tibi mentem illam vegetam, maturam illam prudentiam, sedulam illam industriam, teque ipsum diu Academiae nostrae servet!

Nullus annus sine honore tibi praeterire solet, Cl. Donders. Non ergo eum mirati sumus, cuius nuncium annus praeteritus nobis attulit, quum Academia Vindobonensis sua saecularia agens te socium suum selegit. Illo honore in te delato gaudet patria, academia nostra, maxime autem quod te socium nostrum servavimus, diuque ut speramus academiae nostrae ornamentum servare possumus.

Quod academiae nostrae non saepe optingit, Professorum numerus non tantum integer servatus, sed etiam auctus est. Nempe ex novis de arte medica legibus utile videbatur Academiae nostrae laboris divisione promovere disciplinam. Qui per multos annos duplex artes chirurgicae et obstetriciae tradendae munus praeclare gesserat, Cl. van Goudoever, ea qua est liberalitate alterum ultro deposuit. Vocatus est vir Doctissimus Adolphus Ludovicus Sigismundus Gusserow in Academia Berolinensi de disciplina obstetricia iam optime meritus, cuius eruditionem et sollertiam quum rei periti laudant, nos omnes animum eius candidum, ad omnia bona paratum iam ita novimus, ut de eo optima quaeque exspectare potuisset Academia nostra. Sed eheu! ex inopinato tristis nobis nuncius allatus est, Tigurinos te, vir Clarissime! nobis invidere et ad suam Academiam vocare. Quum longe maior ibi disciplinam tuam promovendi adesse videatur opportunitas,

quis te reprehendet, si iis morem geras novumque inter nos munus relinquas! Dolemus academiae nostrae iacturam, sed caram semper tuam servabimus memoriam.

Provida Curatorum cura quoque factum est, ut Laboratorio chemico novus datus sit adiutor, vir Doctissimus Albertus Reinecke Goettingensis, et spes est fore, ut brevi quoque novo Laboratorio physiologico talis adiutor addatur. Apparitori nostro vita defuncto successit Iacobus Nicolaus de Kruyff, cui eandem alacritatem et industriam exoptamus, quibus diutissime in eo munere floruit pater venerabilis.

Propositum erat studiosis celebrare Academiae nostrae lustrum quadragesimum sextum, sed mox vetuit tristis temporis ratio. Qui ad laeta erant parati, a gravibus seriisque rebus se non abhorrere brevi post probarunt. Morbo pestifero inter nos grassante, plures sese strenue optimis illis civibus adiunxerunt, qui sponte sua pauperum et aegrotorum curam susceperant, nec vero minus Medicinae Candidati et hic et alibi aegrotantibus ultro opem attulerunt. Postea ex mutata deinceps rerum politicarum conditione, multi bene perspicientes iis, qui pacem optent, bellum esse parandum, nobisque Batavis, quibus libertatem vita cariorem esse oporteat, illam tueri sanctissimum esse officium, ad armorum usum discendum sedulo se converterunt. Quae ergo diversa esse solent, illi masculo animo arma cum studiis iunxerunt exemplumque dederunt, ubique inter nostrates imitatione dignissimum, ut omnes sine discrimine cives patriam, commune omnium bonum, defendere discant.

De institutis et subsidiis academicis pauca tantum mihi sunt dicenda. Quae plurimis, professoribus, studiosis et huius urbis civibus usum suum praebet Bibliotheca, aucta iterum est, ut quotannis solet, librorum copia. Curatores, quod grato animo commemoro, illam partem, quae spectat literas orientales, quaeque, ut aliae partes, gravissima inopia laborat, paululum stipendio concesso sublevandam esse statuerunt. Utinam quod hac in re inceperunt, fortiter persequantur! Quod praeterea laudandum esse censeo, ut alios ad huius exempli imitationem incitem, nonnulli huius urbis cives amplissimi Bibliothecam nostram ditarunt libellis rarissimis ad initia Catechismi Palatini pertinentibus, quosque ipsi auro cariores habuerunt. His iam ita usus est collega coniun-

ctissimus Doedes, ut huius in Ecclesia Reformata aurei libelli quasi incunabula optime illustraret. Utinam omnibus esset persuasum, Bibliothecam nostram non, ut imperiti male spargunt, divitem, sed admodum pauperem esse! Non minus speramus et exspectamus novum Catalogum, diu promissum, ita tamen ut non in perpetuum omnium taedium novum volumen addatur prioribus, sed ut catalogus sit unus ad usum quaerentium accommodatus.

Laboratorio chemico summam tribuit laudem ipse maxime in eo laudandus dux, nihil ei defuisse, neque hodie deesse. Laudatur non minus absolutum nunc splendidum Laboratorium physiologicum, quod ut novum splendorem Academiae nostrae praebeat, disciplinaeque inde, te Cl. Donders duce, nova lux affulgeat, omnes optamus. Museum physicum et Observatorium astronomicum non quidem valde aucta, sed satis bene instructa sunt. Idem quoque praedicatur de Museo anatomico, quod hoc potissimum nomine amplificatum est, ut et singula melius disponi possint et conclavia iam adsint auditoribus commoda. Hortus et Museum botanicum florere pergunt, non tantum plantarum exoticarum aliarumque permutatione acceptarum numero, sed etiam aliarum rerum ad institutionem utilium copia. Caldarium novum horto est additum. Museum geologico-mineralogicum specimine ferri coelestis seu Meteorologici ex insula Iava ab Academia disciplinarum Amstelodamensi est ditatum. Museum zoologicum etiam auctum est partim donis, partim rebus emtione comparatis. Deest autem maxime adiutor ad novam omnium rerum recensionem instituendam, desunt porro conclavia ad studia practica et instrumenta nonnulla, quae nostra aetas flagitat. Speramus fore ut omnia, quae ibi desiderantur, brevi adsint. De novo Nosocomio optima esse exspectanda, saepe audivimus, nondum quidquam vidimus. Ex multis autem virorum celeberrimorum consiliis paene confidere licet, tandem aliquid perfecti exoriturum esse. Hoc quidem de hisce aedibus academicis vix nobis persuadere possumus: speramus tamen, ut non quidem aedificium splendidum, sed plura et magis commoda conclavia nanciscamur.

Quae bona sive nova sive emendata accepit Academia nostra, ea maxime curae et liberalitati Curatorum debemus. Scimus, non omnia simul perfici posse, sed eorum diligentiae aeque ac professorum et lectorum in-

dustriae tuto quae emendanda supersunt, committere possumus, ut ad maiorem semper vigorem Academia nostra extollatur.

Non sine sollicitudine quadam Rectoris munus inii, laeto gratoque animo nunc de eo decedo. A multis studiosis amicitiae, ab omnibus benevolentiae et modestiae signa accepi. Vobis omnibus, Commilitones! gratias ago maximas, quod munus gravissimum mihi leve reddidistis.

Ad meliora et altiora nunc vocamini, Commilitones! Etenim hoc anno in Academia nostra proponuntur quaestiones omnibus academiarum et athenaeorum in patria nostra civibus. Qui inter vos sunt erectioris animi honorisque cupidi aures arrigant, viresque mox intendant, ut studiorum aliquando fructus capiant. Praeleget vero illas senatus academici actuarius [1]).

Sed tempus est ut decedam tibique fasces academicos tradam, quem Rex Augustissimus mihi successorem disignavit. Te ergo, Vir Cl. Guilielme Koster, huius Academiae Rectorem pronuncio, proclamo. Accedas, quaeso, Vir Magnifice. Salve, Rector, iterumque salve! Sit tibi munus gravissimum leve et gratum atque ita te iuvet D. O. M. ut, te Rectore, non tantum tuta et incolumis maneat, sed crescat quoque et floreat doctrinae, humanitatis et pietatis laude Academia Rheno-Traiectina.

---

[1]) Cf. pag. 186.

P R O G R A M M A

CERTAMINIS LITERARII

A

RECTORE ET SENATU ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE

DIE XXVI MENSIS MARTII ANNI CIƆIƆCCCLXVII

INDICTI.

Ex Regis Augustissimi Guilielmi III liberalitate et munificentia, Rector et Senatus Academiae Rheno-Traiectinae omnes Academiarum huius Regni cives et Athenaeorum alumnos in proximum annum ad certamen literarium invitant, et quaestiones, a singulis Ordinibus Academicis positas, promulgant hasce:

AB ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I.

Ex ipsis fontibus exponatur feminarum apud Romanos conditio domestica et civilis a priscis temporibus ad aetatem Constantini Magni.

II.

Variae sententiae de authentia Psalmorum, qui Davidi auctori tribuuntur, argumentis internis et externis diiudicentur.

AB ORDINE MEDICO.

I.

Quaeritur commentatio de structura atque functione glandulae lacrymalis, in primis ratione habita nervorum organon illud perreptantium eorumque vis in secretionem lacrymarum.

II.

Historia duce novisque experimentis indagetur, quam rationem nervus vagus habeat cum spirandi motibus.

Ad utramque quaestionem etiam patrio sermone respondere licebit.

AB ORDINE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

I.

Quaeritur commentatio de *Stratiote aloide* Linn., in qua eius structura anatomica, morphologia, physiologia et distributio geographica exponantur, propriis etiam auctoris indagationibus illustratae.

II.

Adhibeatur principium conservationis energiae ad explicandas actiones varias fluxus galvanici.

Ad utramque quaestionem etiam patrio sermone respondere licebit.

AB ORDINE THEOLOGICO.

Quid Paulus Apostolus de conscientia humana docuerit, ita exponatur, ut *et* huius doctrinae nexus cum universa Theologia Paulina, *et* eius vis et efficacitas in rationem, qua Euangelium annunciavit, luculenter appareant.

Ad hanc quaestionem etiam patrio sermone respondere licebit.

AB ORDINE IURIDICO.

Quae Iure Publico hodierno dentur actiones civiles aut poenales, ubi vel contraxerint nomine civitatis Magistratus ac Praefecti s. inferioris gradus officiales, vel forte in errorem lapsi deliquerint, cum ex Legibus Imperii ac Codicibus, tum ex historia aetatis nostrae, praesertim patria, exponatur et illustretur. — Quae ad locum de Administris Regiis pertinent, in responsione ad hanc quaestionem tangenda non erunt.

Ad hanc quaestionem etiam patrio sermone respondere licebit.

Commentationes, latina oratione conscribendae, nisi diserte patrii sermonis usus concessus est, et aliena manu describendae, ante diem x m. Ianuarii a. CIↃIↃCCCLXVIII mittuntor ad Virum Clarissimum Guilielmum Gerardum Brill, qui Senatus Academici acta curabit. Singulae lemmate inscribuntor adiunguntorque schedulae obsignatae, scriptorum nomina et praenomina integra continentes, eodemque lemmate extrinsecus distinctae.

Ordinum de Commentationibus iudicia pronunciabuntur, optimarumque commentationum scriptoribus, disquisitione ante instituta, praemia tribuentur ipso die Academiae natali a. CIↃIↃCCCLXVIII.

ACTA IN SENATU

A. CIƆIƆCCCLXVI—CIƆIƆCCCLXVII,

RECTORE MAGNIFICO HENRICO CHRISTIANO MILLIES,
GRAPHIARIO OTTONE VAN REES.

Die 23 m. Martii 1866. Rector Magnificus Iacobus Antonius Fruin, a Senatu Amplissimo in cathedram ductus, orationem habet: *de privati iuris nostri codicibus assidue corrigendis et supplendis.* Deinceps Academiae fata tum prospera tum adversa narrat. Tandem, magistratum Academicum deponens, in proximum annum Rectorem Magnificum renuntiat et salutat Virum Cl. Henricum Christianum Millies.

E Curatorum decreto Graphiarii munus in hunc annum mandatum est Viro Cl. Ottoni van Rees.

Assessores declarantur:

Ex Ordine Medicorum	Vir Clar.	G. I. Loncq.
〃 〃 Mathematicorum	〃 〃	P. Harting.
〃 〃 Theologorum	〃 〃	B. Ter Haar.
〃 〃 Iureconsultorum	〃 〃	B. I. Lintelo de Geer.

Die 22 m. Iunii. Rector Magnificus cum Senatu communicat epistolam, qua Curatores, Viri Amplissimi, Senatui significant: Virum-Doctissimum Albertum Reinecke ex urbe Göttinga vocatum esse ut Chemiae Professori in exercitationibus practicis, quae in laboratorio habentur, auxilio sit.

Deinceps Rector refert, se una cum Graphiario, Senatus nomine, adiisse Virum Clar. G. G. Vreede, qui die 29 m. Martii memoriam celebravit muneris Academici, per quinque lustra quam felicissime et honorificentissime gesti.

Die 23 m. Novembris. Curatores cum Senatu communicant, apparitorem Holstege die 1° m. Iulii obiisse; se autem die 26° m. Septembris eius successorem nominasse I. N. de Kruyff, apparitoris emeriti eiusdem nominis filium.

Epistola legitur a Curatoribus die 22° m. Novembris data, qua significatur: Virum Doctissimum Adolphum Ludovicum Sigismundum Gusserow, Medicinae Lectorem in Academia Berolinensi, a Rege augustissimo Professorem Ordinarium in facultate medica huius Universitatis nominatum esse.

Die 25 m. Januarii 1867. Vir Clar. Adolphus Ludovicus Sigismundus Gusserow, in Ordine Medicorum Professor Ordinarius designatus, a Senatu amplissimo in cathedram ductus, munus suum auspicatur oratione, Latino sermone habita, qua exposuit: *Quemadmodum ars obstetricia et gynaecologia litterarum medicarum disciplinae peculiares exstiterint.*

Die 5 m. Februarii. Designantur quatuorviri, ex quibus a Rege augustissimo Rector Magnificus in proximum annum eligatur:

Ex Ordine	Medicorum	Vir Clar.	G. Koster.
" "	Mathematicorum	" "	M. Hoek.
" "	Theologorum	" "	I. I. van Oosterzee.
" "	Iureconsultorum	" "	O. van Rees.

Deinceps quatuorviri ex quibus in proximum annum eligatur Senatus Graphiarius:

Ex Ordine	Litteratorum	Vir. Clar.	G. G. Brill.
" "	Medicorum	" "	G. Koster.
" "	Mathematicorum	" "	F. A. G. Miquel.
" "	Theologorum	" "	I. I. van Oosterzee.

Assessores tandem designantur:

Ex Ordine	Mathematicorum	Vir Clar.	C. H. D. Buys Ballot.
" "	Theologorum	" "	I. I. Doedes.
" "	Iureconsultorum	" "	I. A. Fruin.
" "	Litteratorum	" "	H. van Herwerden.

QUEMADMODUM ARS OBSTETRICIA ET GYNAECOLOGIA LITTERARUM MEDICARUM DISCIPLINAE PECULIARES EXSTITERINT.

ORATIO

AB

ADOLPHO LUDOVICO SIGISMUNDO GUSSEROW

PRONUNCIATA TRAIECTI AD RHENUM

A. D. XXV M. IANUARII A. CIƆIƆCCCLXVII.

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES, VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI! QUI HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

MAGNIFICE ACADEMIAE RECTOR!

DOCTRINARUM ET ARTIUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, NEC-NON LECTORES DOCTISSIMI!

QUI IN PROVINCIA AC URBE POTESTATE ET AUCTORITATE CONSPICUI ESTIS, VIRI HONORATISSIMI!

RERUM DIVINARUM INTERPRETES, ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES ET MAGISTRI, VIRI VENERABILES, DOCTISSIMI!

IUVENES LITERARUM DISCIPLINARUMQUE STUDIIS OPERAM DANTES, EXOPTATISSIMI, COMMILITONES AMICISSIMI!

VOS DENIQUE CIVES ET HOSPITES, QUOTQUOT HUC CONVENISTIS, AUDITORES OPTATISSIMI!

Haud sine verecundia ac trepidatione quadam hunc locum solennem ingredi et in medium Vestrum, unum omnium honoratissimum, procedere ausus sum. Neque haec haesitatio mihi vana videtur expendenti, num vires meae, quas sentio, quam sint exiguae, una cum proba mea voluntate strenuaque industria solae suffecturae sint, ut munus mihi honorificentissime delatum quoquoversus exsequar atque id, quod iure praesumitur, commodum afferam: uno verbo, ut quaecumque a me expectantur, cuncta plane expleam. Cuiusmodi cogitationes vel dubitationes nescio, an unumquemque sollicitum reddant, me autem cura eo maiore non possunt non implere, quod ego peregrinus, ex alia natione oriundus, huc deveni. Sed maximo mihi duxi honori, quod a Vobis, Viri amplissimi, huc vocatus sum, quamobrem patriam patriosque penates reliqui atque animo gratissimo iam hoc loco agnosco, quanta cum benevolentia et comitate ubique acceptus sim. Nihilominus quispiam facile suspicari possit, me verbum vanum eloqui affirmantem, iam nunc me esse Batavum perfectum, namque per se iudicare licet, qui e patria suo cito excedat eamque det oblivioni,

eum nullo pacto alius terrae civem bonum minimeque hominem probum, ergo nusquam acceptum esse posse. Itaque impraesentiarum aequi, quaeso, bonique faciatis, quod animo candidissimo hoc momento solenni summam meam fidem obligo, me omnem meam ingenii facultatem, omnem scientiam, omnem curam operamque in eo solum consumturum esse, ut huic litterarum universitati totique Hollandiae quam maxime prosim, munere meo ratione tam theoretica quam practica religiosissime fungens. Atque hoc in campo, auditores nobilissimi, sine dubio nos omnes statim coniunctissimi erimus, hic neque ego me sentiam alienigenam, neque Vos, ut certo spero equidem, me habebitis. In litteris enim, in docendo discendoque nulli sunt nationum limites, sed omnes gentes politae unam constituunt magnam familiam, in qua pariter et laborandum est et summam omnium laborum percipere licet. Litterae igitur nullam habent patriam, litterae sunt mundanae. Nec illae differentiae, quae in litteris tractandis vel in singulis disciplinis excolendis inter nationes diversas comparent nationes ipsas separant, sed potius sunt documento, quantopere aliae nationes aliarum rationem habere debeant, ut ne harum aut illarum scientia manca et imperfecta evadat. Sic igitur de loco, quem inter Vos tenebo, equidem sentio, nec dubito, quin me eadem mente libenter recepturi sitis. Atque ut sententiae meae signum quoddam externum ederem, praescripto sermone latino orationem hanc inauguralem habere non recusavi, qui quidem sermo antehac solus commune commercium litterarium conciliabat, nunc vero propterea minus usurpatur, quod tempore procedente litterae tanta incrementa ceperunt, ut ad eas exponendas lingua latina frequenter non iam sufficiat. Ceterum autem vos, viri amplissimi, etiam atque etiam rogatos volo, ut germanicam meam verborum latinorum pronuntiationem benevole excusetis.

Momenti haud levis mihi esse videtur, quod ego sum primus eo designatus, ut hac in academia solam doceam artem obstetriciam, quod munus adhuc praeceptori chirurgiae simul obeundum erat. Grave profecto documentum et excellentis ingenii et rarae eruditionis sicuti mirae industriae collegae nostri illustrissimi illud est, quod ambas disciplinas, quarum utraque amplissima, est, una idque tam perfecte praecipere potuit. Posteaquam enim ars obstetricia tempore superiori tantummodo pars quadam

vel caput chirurgiae habita et docta est, posterius quidem ut disciplina peculiaris a chirurgia separata est, sed cum ea adhuc diu ratione externa copulata permansit, id quod etiam in hac litterarum universitate hodieque factum est. Quae quum ita sint, forsitan hoc loco, ubi nunc ipsum etiam modo externo chirurgia et ars obstetricia postremo in Europa disiunguntur, haud alienum videatur paucis contemplari:

Quemadmodum ars obstetricia et gynaecologia litterarum medicarum disciplinae peculiares extiterint.

Nostrum non est, universam artis obstetriciae historiam inde a temporibus antiquissimis exponere, sed res modo singulas afferre nos oportet quibus factum sit, ut nostra disciplina a medicina reliqua seiungeretur. Temporibus vetustissimis medicina dumtaxat una erat disciplina, quare apud Hippocratem, auctorem illum quidem artis medicae, res obstetricias una cum mere medicis tractatas invenimus. Nobis non licet has res percensere, quae saepe recta et falsa mire commixta, interdum tamen ingeniosissima continent, sed iam hic fontem illum principalem silentio praeterire non possumus, qui erat in causa, ut tota ars obstetricia per tempus longissimum locum maxime humilem teneret, id quod protinus etiam in arte obstetricia antiqua reperimus. Dico illam consuetudinem, ex qua partus naturales solis feminis obeundi permittebantur ac medici non advocabantur, nisi partus essent, ut ita dicam, praeternaturales, aut tales obstetricibus esse viderentur. Itaque etiam medici opem modo perniciosissimam et periculosissimam ferre poterant, quippe quibus processus normalis plane ignotus esset, ita ut partum naturae convenientem et pathologicum omnino non discriminare possent. Veluti Hippocrates, quod mirari licet, partus pedibus praeviis praeternaturales duxit, ubi versio in caput aut concisio foetus requiratur. Parturientes igitur medicos quam maxime verebantur, quoniam eorum auxilium tam matri quam infanti persaepe exitiosum erat.

Sic in universum ars nostra usque ad aetatem Celsi sese habebat. Hic auctor illam primus nonnihil separatim praecepit et eo quidem loco, ubi multa per saecula remansura erat, nimirum inter chirurgica. Idem ergo Celsus generatim censebat atque Hippocrates, scilicet partus, ubi obste-

trices nihil proficere possent, medicis et iis quidem, ut auctor putat, praecipue tradendos esse qui potissimum manus et instrumenta adhibentes opitularentur, id est, chirurgis. Ceterum praecepta Celsiana tantum ad foetus emortuos spectant, ita ut medico obstetricio dumtaxat vita matris servanda sit. Omnino tum demum, quum doctrina Christiana magis magisque propagaretur, vitae infantilis respectus habebatur. De reliquo apud Celsum antiqua foetuum concisione collata iam nonnullos artis progressus invenimus, praesertim quod doctrinam attinet de versione in pedes, de proctothesi in podothesin commutanda et extractione instituenda. At hi progressus sane non leves, perbrevi, ut videtur, rursus oblivioni dabantur; certe tota ars obstetricia imprimis speciem crudelem ex aetate Hippocratis adhuc diu retinebat.

Altera autem gravis causa, quod ars obstetricia illo tempore atque etiam posteriore locum tenebat infimum, manca erat cognitio anatomiae organorum genitalium feminearum, quapropter Galeni eiusque antecessorum Sorani et Moschionis nobis mentio facienda est, utpote qui saeculo post Christum secundo artem obstetriciam multum promoverint.

Praecipue Galenus, quamvis directe ad artem obstetriciam practicam nihil contulerit, egregia tamen nitidis suis partium genitalium feminearum foetusque descriptionibus anatomicis praestitit. Verumtamen haec doctrina omnino longum per tempus non eo progrediebatur modo, quem laeta illa initia spondere videbantur. Una cum imperio Romano corruente etiam omnes litterae de fastigio, quod florentes adeptae erant, plus minusve deiiciebantur, id quod maxime medicinae accedebat, quae mirabilem in modum superstitione perversissima restinguebatur. Vetustum Hippocratis praeceptum de foetu concidendo rursus in positionibus exercebatur, quae tale quid aut omnino non aut perraro tantum exigunt. Quid quod Tertullianus, quum antea modo de foetibus emortuis dissecandis ageretur, primus diserte praecepit, foetum, ne vivus dilaceretur, in ventre materno prius occidendum esse, quod pravum praeceptum auctoris aetate communiter valebat. Imo hoc crudele agendi genus per complura saecula retinebatur, tanto id quidem crudelius, quod plerumque, ut iam diximus, concisio foetus omnino vitari poterat. Profecto etiam mirari licet, quod ipsis primis doctrinae Christianae temporibus vita infantilis parum respicie-

batur, qui despectus ex illa doctrina veterum philosophorum praesertim Stoicorum fluxisse videtur, infantem in ventre materno nondum anima praeditum esse, quam doctrinam idem Tertullianus, pater ecclesiasticus rëfutat. Proinde etiam abortum artificialem antiquitus usitatissimum adhuc continuatum esse facile est intellectu nosque quasi in transcursu commemoratum volumus. Extra cancellos enim nobis constitutos longe egrederemur, si, quomodo litterae omnes, ergo etiam nostra disciplina plane substiterint vel potius interierint, latius persequeremur. Usque ad exitum saeculi septimi ad praecepta Hippocratis, Celsi, Galeni nihil utique novi accessit. Naturae contemplatio, in quam illi patres artis medicae diligentissime incumbebant, prorsus negligebatur et abolebatur. Quae ad scripta horum auctorum interpretanda et illustranda afferebantur, ea in tenebricosa tantum superstitione constabant. Soli Arabes, quorum mirabiles expeditiones victrices in illud incidebant tempus, et bene meriti sunt, quod litterarum patrocinio suscepto saltem res traditas diligenter coluerunt, etsi eas novis vel magnis inventis non locupletarunt, quod idem in artem obstetriciam cadit. In universum igitur locum a Graecis traditum obtinentes Arabes singulatim modo rationem mitiorem saltem experti esse videntur, namque ad partus difficiles absolvendos medicamina numerosissima proposuerunt, et his demum, quod sane plerumque acciderit, frustra impensis, ad antiquum foetus discecandi modum confugerunt. Studium autem Arabum tradita conservandi tanto magis collaudandum est, quod in terra occidentali Christiana litterae medicae labem maiorem contraxerant, atque adeo in coenobiis, ubi colebantur, propie nihil erant, nisi astrologia et caeca superstitio. Ars obstetricia per multa saecula, uti antehac, ab imperitis obstetricibus factitabatur, quarum auxilium aeque matri atque infanti damnosum erat, simulac partus a normali aliquantulum modo recederet. Medici videntur saeculo tertio quartoque decimo ab arte obstetricia exercenda omnino exclusi fuisse. Saeculis prioribus, iam memoravimus, medici saltem ad partus difficiles acciebantur, sed ex scriptis huius aetatis clarissime elucet, medicos omni naturae contemplatione caruisse, et de partubus solum ex narrationibus mulierum imperitissimarum iudicare et commentari. Propterea minime mirandum, quod in libris Alberti Magni aliorumque maximae opinionum perversitates cum argutiis ineptissimis temere

confusae sunt, quae legentibus taedium afferunt. Saeculo quinto decimo hic status fere non immutatus est, attamen secundum disquisitiones a Siebold editas saltem chirurgi ad partus difficiles denuo arcessiti esse videntur, quamquam in plerisque scriptis illius aetatis totius artis obstetriciae mentio nulla facta est. Omnino usque in saeculum sextum decimum processum artis obstetriciae nobis non licet historice adumbrare, quia ea plane non exstare videtur, quam ob causam liber anno 1513 ab Euchario Roesslin medico Francofurtensi, editus, qui inscriptus est: „Der Swangeren Frawen und Hebammen Rosengarten" in historia artis obstetriciae gravem constituit epocham. Auctor quidem tantummodo praecepta antiqua cum omnibus vitiis erratisque repetivit, sed libri gravitas historica in eo inest, quod primus est, in quo ars obstetricia ut disciplina peculiaris tractata repetitur. Illa deinde terra, ubi hac via primum amplius procedebatur, Hollandia erat. Hic scilicet anno millesimo quingentesimo vicesimo quarto alterum huiusmodi librum peculiarem Iason a Pratis conscripsit de uteris et de pariente et partu, quo tamen libro perinde nihil novi continetur. Res igitur gravissima ea fuit, quod ars obstetricia iam seorsum tractari coepta est eoque animi medicorum aequalium ad eam conversi sunt. Quae hac de disciplina adhuc perscripta erant, ea illi auctores, ad quos in Germania Rueff aliique accedebant, in conspectum quendam redegerunt, quo vitiosa facilius cognosci poterant. Meliori autem artis obstetriciae processui tunc quoque id potissimum obstabat, quod partus adhuc perpetuo obstetricibus administrandi erant. Plurimum tamen commodi litteris medicis medio saeculo sexto decimo ex Italia allatum est, cuius auctores erant Andreas Vesal, Realdus Columbus, Gabriel Fallopia, Bartholomaeus Eustachius, quorum nomina conditorum anatomiae humanae simulque proprie medicinae theoreticae splendore sempiterno fulgent et saeculum sextum decimum illustrant. Naturae rei consentaneum erat, quod praecipue chirurgia anatomia locupletata permultum promovebatur. Quoniam vero ars obstetricia etiamtum pars chirurgiae ducebatur, quoniam etiam a viris exercebatur, chirurgis semper partus difficiles absolvendi erant, sperare licebat fore, ut una cum chirurgia procedente etiam ars obstetricia procederet. Itaque chirurgi proximis decennis artem nostram in speciem meliorem redegerunt opemque auxerunt atque emendarunt. Eo sane factum est, ut tum ars obstetricia

cum chirurgia etiam magis coalesceret magisque pars chirurgiae haberetur, tum semper tantum ratione mechanica disciplina nostra excoleretur, a quo vitio ea hoc demum tempore prorsus liberata est. Praeterea medici proprii disciplinam artis medicae parum respiciebant, quae solis mulieribus tractanda erat, quibus non sufficientibus chirurgi auxilio vocabantur.

Tali modo ars obstetricia eiusque cultus chirurgis prorsus obtigit, neque mirandum videtur, quod tali modo imprimis pars artis obstetriciae, quae vocatur operativa, excolebatur atque eadem ars per decennia plurima chirurgica manebat. Proximi deinde maximique progressus in arte obstetricia utique etiam in illa terra facti sunt, in qua tum, ut etiamnunc, chirurgia quam maxime pertractabatur, in Francogallia. Ibi Ambrosius Paré in libris suis obstetriciis de anno millesimo quingentesimo quinto decimo et millesimo quingentesimo septuagesimo tertio gravem illam et salutarem doctrinam de foetus versione in pedes cum eiusdem extractione subsequente proposuit. Haecce versio eo auctore in cunctis partubus difficilibus fieri, aut certe tentari debet. Infantes dissecari non concedit, nisi ii iam exstincti sint, aut mater in summo vitae discrimine versetur. Quibus regulis exinde parturientes innumerae servatae sunt, nec possunt eae crudelibus praeceptis auctorum superiorum collatis satis praedicari. Quanta sit dignitas doctrinae de foetu in pede convertendo, iam hinc patescit, quod eadem etiamnunc, dum nobis numerosa subsidia alia suppetunt, multis in casibus valet. Quod omnino viri in artem obstetriciam studiosissime incumbebant, eo primum in Francogallia obstetrices magis magisque summovebantur, quae nec litteris nec parturientibus ullum commodum parabant. Simul autem cum doctrina de foetu in pedes convertendo etiam sectionem caesaream in feminis vivis faciendum potissimum ex scriptis auctorum Rousset et Caspari Bauhin in artem obstetriciam receptam esse hic solum memoraverim, ne a proposito longius digrediar. Iam totius artis obstetriciae amplior processus diu ex chirurgia et arte obstetricia apud Francogallos procedente suspensus erat. Postquam vero foetus versio in pedes, neque minus sectio caesarea a Francogallis inventa est, exeunte saeculo sexto decimo medici etiam in rebus arti obstetriciae admodum cognatis magnum studium collocarunt. Dum enim iidem auxilium ad ipsum partum spectans adhuc solis chirurgis permittebant, animos suos potius ad graviditatem, ad puer-

perium maximeque ad morbos mulierum applicarunt. Quod studium multis ex operibus collectivis elucet, quae de morbis mulierum a medicis terrarum diversissimarum, nominatim Francogalliae, Germaniae, Hollandiae, composita gynaecia nuncupata sunt. Tum saeculo septimo decimo ac praesertim altero eius dimidio maximi gravissimique artis nostrae progressus tam theoretici quam practici rursus Francogallis auctoribus reperiuntur. Prae ceteris hic nobis Franciscus Mauriceau nominandus est, quippe qui anno 1668 in magno suo opere de arte obstetricia morbisque gravidarum et puerperarun scripto (seu „des maladies des femmes grosses et accouchées") quum fundamenta huius artis ut disciplinae peculiaris iecerit, tum praecipue longius in tempus regulas artis obstetriciae practicae constituerit. In hac disciplina elaboranda imprimis sententia ductus est, accuratam partium genitalium muliebrium earumque functionum scientiam omnium praeceptorum obstetriciorum fundamentum esse debere. Proinde etiam ad opinionem, viribus naturae in partubus longe plus, quam adhuc factum sit, permittendum esse, adductus est primusque videtur certo iudicasse, partum esse actum physiologicum, qui per se nullum artis auxilium requirat. Magni etiam momenti ad artem nostram promovendam, illud est, quod Mauriceau pelvim mulieris osseam ad partus decursum multum valere primus animadvertit; imo primordia doctrinae gravissima de pelvi angustiore ut partus impedimento iam videtur divinasse. Tametsi Mauriceau de arte obstetricia sine dubio egregie meritus est, eo tamen in progressum huius disciplinae vim minus prosperam exercuit, quod ob maiorem auctoritatem eius praescripta longius per tempus tamquam norma observabantur, ideoque praecepta haud dubie praestantiora diu negligebantur, aut falsa habebantur. Hac ratione praecipue Paulus Portal a monte Pessulano laudandus est, qui secundum diligentes observationes partuum naturalium et difficilium longe confidentius quam Mauriceau sententiam tulit: partus nullo modo nimis properandos, nec praematuro artis subsidio decursum normalem conturbandum esse. Quam regulam etiam severe ad partus facie praevia adhibuit, at haec sententia rectissima auctoritati clarissimi Mauriceau, qui docuit contrarium, cum damno mulierum et foetuum diu succubuit. Idem de partubus et clunibus praeviis et pedibus praeviis dicendum est, quos Portal pariter viribus naturae permitti voluit. Haec tamen placita medici

Hollandici, minus ii quidem ex auctoritate magistri Mauriceau pendentes, amplius persecuti sunt. Hic quoque chirurgi artem nostram administrabant et obstetrices iam dudum a chirurgis observabantur, qui adeo publice instituebantur, ut difficilibus in partubus opitularentur. Ex altero dimidio saeculi septimi decimi imprimis scripta Henrici de Roonhuysen Amstelodamensis et Cornelii Solingen Hagani pluriumque aliorum memoranda sunt, qui praecepta Francogallorum prudentia et utilia diligenter pertexebant. Huic studio a chirurgis Hollandicis in arte obstetricia collocato res in Germania plane contrariae erant, ubi adhuc fere solae obstetrices partus procurabant. Illo autem studio ars obstetrica in Hollandia celeriter ad florem summum et certe ad idem fastigium adducta est atque in Francogallia, ubi haec ars fundamentis theoreticis suppositis perquam salutaris exstitit, posteaquam opinio praeiudicata, qua tempore superiore viri ab arte obstetricia exercenda exclusi erant, prorsus sublata atque obstetrices paene omnino summotae sunt. Splendidissime vero ars nostra ab Henrico de Deventer exculta est, qui desiderio aetatis suae bene perspecto opus ratione maxime theoretica compositum anno 1701 foras dedit, quod propemodum per unum saeculum classicum habebatur et multis partis etiamnunc habendum est. Confidenter ratus, nullam scientiam tam firmo veritatis fundamento gaudere quam artem obstetriciam, nominatim fundamenta nostrae disciplinae anatomico-physiologica diligentissime corrigere et constituere nisus est. Ad quod efficiendum primum magno numero observationum suarum exactarum idoneus reddebatur. Deinde tamen praesertim magnis illis inventionibus in idem tempus incidentibus adiutus est, quarum sunt auctores Harvey ac praecipue eius populares Johannes de Horne, Regnerus de Graaf, Johannes Swammerdam, decora eruditionis Hollandicae immortalia. Maximum et gravissimum, quod Deventer arti obstetriciae praestitit, eius est doctrina de pelvis effectu ad partum, cuius doctrinae aeque ad theoriam atque ad praxin permultum valentis auctor est immortalis. Insuper quae de effectu pelvis tam normalis quam abnormis, et angustioris, tradidit, ea non sunt abrupta et solitaria, sed bene expensa et disposita, ex exacta naturae consideratione oriunda, ita ut generatim perpetuo vera et in immutabili nostrae disciplinae possessione in aeternum mansum sint. Sic saeculo decimo septimo exeunte artem obstetriciam, ut disciplinam peculiarem, eximiis

laboribus nullius fere populi nisi Francogallorum et Batavorum valde florentem splendideque ex turba et caligine saeculorum antegressorum progressam videmus. Etiam ratione practica ars nostra praecipue in Hollandia magis magisque fiebat, namque eam solam viri eminentes plus plusque exercebant, ita ut illa revera non amplius chirurgiae appendix duceretur. Itaque iam anno millesimo septingentesimo undevicesimo Lugduni Batavorum erat collegium ad negotia artis obstetriciae, constans id quidem ex uno professore medicinae, quatuor medicis urbanis et uno medico obstetricio publico, qui obstetrices erudiebat. Sub finem igitur saeculi septimi decimi Francogalliam et Hollandiam, quod artem nostram locupletandam attinet, de praemio concertantes cernimus. Quod in Francogallia a Mauriceau, de la Motte aliisque inchoatum et conditum erat, id in Hollandia accurata modoque perquam theoretico pertexebatur. Iam vero ex nationibus aliis primum etiam Anglica in arenam descendit et quidem inventionem secum ferens, quae una omnium ad praxin obstetriciam gravissima completam conversionem huius disciplinae novamque epocham adduxit. Dicimus inventionem forcipis obstetriciae. Hoc instrumentum ob usum expeditissimum omnium medicorum commune factum est, et nescio, an tantum ex eius abusu tam priore quam hodierno explicandam sit quod dignitas huiusce inventionis non modo circa theoriam artis obstetriciae, verum etiam circa hominum salutum parum agnoscitur. Non deerunt forsitan, qui subrideant veritatisque superlationem subesse arbitrentur, si inventionem forcipis obstetriciae in maximis numerandum esse censeo, quae in medicina omnino prolatae sunt, neque minus infitior, alterum esse instrumentum, quod pari sit dignitate practica atque hominibus tantumdem profuerit, siquidem vitae humanae conservatio semper summus medicinae finis iudicatur. Quod assertum quoniam nonnemini primo obtutu modum excedens, aut adeo poeticum videri potest, licet sit verissimum, per Vos, Auditores Honoratissimi, denuo accuratius contemplari mihi liceat, qualis fuerit status artis obstetriciae operativae ante forcipis inventionem, quo dignitas huius instrumenti magis patescat. Neque historia inventionis forcipis voluptate caret, ut mihi non verendum sit, ne Vos nimis defatigem, praesertim quum postea in argumento meo persequendo patientia Vestra non abusurus longus esse nolim.

Temporibus antiquissimis ad partum absolvendum, si mater in vitae discrimine versaretur, medicis obstetriciis nihil nisi foetus concisionem restitisse iam supra exposuimus. Itaque saeculo sexto decimo maximeque septimo decimo, quum foetus versio in pedes cum extractione sequente introduceretur, ars obstetricia permultum proficiebat, nam tali modo fieri poterat, ut, ubi foetus propter situm suum nasci nequibat, aut ubi res periculosae partum requirebant, non solum matris, sed etiam infantis vita servaretur, quem finem duplicem ars obstetricia semper habet. Tametsi medici illius aetatis illam foetus versionem sollertissime exsequebantur ac sine dubio etiam ibi suscipiebant, ubi nos eam non iam fieri posse putamus, hanc tamen alteram operationem persaepe et foetus mortiferam et matri capitalem existere utique necesse erat. Praecipue iis in casibus, ubi praecedens caput infantile iam in pelvim vel pelvis exitum firmiter, ut ita dicam, incuneatum erat, foetus nullo pacto in pedes converti poterat et his in casibus, qui sunt frequentissimi, ubi partus accelerandus est, vita infantis semper perdebatur, neque mater sine summo periculo a foetu liberari poterat, et ob artem imperfectam creberrime animam efflabat. Omnibus illis in casibus nobis nunc forceps suppetit, aeque simplex ac periculi expers instrumentum, ut matrem infantemque servemus, primarium medici obstetricii officium, quo medicis ceteris antecellit, duorum hominum vitam una servandi exsequentes. Quantopere saeculo septimo decimo exeunte instrumentum, quo illi partus difficillimi feliciter finiri possent, iam desideratum sit, verbis probatur, quibus de la Motte usus est, tale instrumentum iam arcano exstare memorans. Si quis, ait, tale instrumentum prosperum possederit et eo non divulgato mortuus sit, eum poena aeterna dignum esse, aliter agentem omnia saecula omni praedicatione cumulatura fuisse. Ipsa verba haec sunt: „Il mériteroit qu'un ver lui dévorast ses entrailles pendant l'éternité, par raport au crime qu'il feroit de ne pas donner un moyen de sauver la vie à un nombre infini de pauvres enfants, qui la perdent par le défaut d'un tel secours; toute la science n'ayant pu le trouver jusqu'à présent."

Dolendum est, quod forcipis inventores gloria magnifice praedicta se ipsi privarunt; etenim lucri studio inducti hoc instrumentum diu ut arcanum in rem suam verterunt et inhoneste vendiderunt, ut iis gratia nulla ha-

benda sit. Sub finem scilicet saeculi septimi decimi medicus quidam Chamberlen cum tribus filiis Londini vivebat, qui omnes artem obstetriciam diligenter factitabant. Horum trium filiorum unus, Hugo Chamberlen, anno 1670 Parisios profectus academiae regiae instrumentum emendum obtulit, quo partus difficiles cum commodo matris infantisque tempore brevissimo conficerentur. Mauriceau illi feminam parturientem tradidit, quam putabat non enixam interituram esse, dum Chamberlen se eam onere suo feliciter liberaturum esse pollicebatur. Sine dubio hic sectio caesarea indicata erat, neque ex nostra scientia usus forcipis, nam post conatus a Chamberlen frustra captos parturiens periit. Hoc infausto specimine exhibito academia oblatum arcanum emere non potuit, et Chamberlen re infecta Londinum rediit. Posterius idem in translatione operis a Mauriceau editi instrumentum commemorat, quod ipse suusque pater et fratres habeant, idoneum id quidem ad partus difficiles prospere finiendos, ac magna industria familia Chamberlen ex hoc arcano sibi grandem pecuniam comparavit. Quum Hugo Iacobi secundi assecla esset, anno 1688 ex Anglia aufugere coactus Amstelodamum migravit, ubi de arte obstetricia scholas habens arcanum suum Henrico de Roonhuysen pretio magno vendidit. Exinde usque in medium saeculum duodevicesimum hoc arcano medici obstetricii Hollandici inter se perpetuo negotiabantur, et vix ac ne vix quidem perspici potest, quemadmorum hocce instrumentum, quum permultis innotesceret, tam diu occultari potuerit. Anno quadragesimo sexto saeculi praeteriti a collegio medico-pharmaceutico Amstelodamensi adeo lex lata est, ex qua nulli medico artem obstetriciam exercere licebat, qui arcanum examinatorum non possedebat, a quibus id pretio magno emi poterat. Hac autem violenta pecuniarum exactione animi vehementissime commoti sunt tandemque duo medici Hollandici, Iacobus de Visscher et Hugo van de Poll eo bene meriti sunt, quod vitia antecessorum emendaturi arcanum nostrum divulgabant. Unde etiam cognitum est, emtores eius longo ex tempore valde deceptos esse, quippe quibus tantummodo alterum instrumenti dimidium, quod vectis vocabatur Roonhuysenianus, venditum esset. Rectum tamen instrumentum paullo post ab Anglis et studio medici Gandavensis notum factum est, ita ut ex medio saeculo praeterito forceps omnibus medicis obstetriciis communis esset. Ab in-

ventione igitur usuque communi huius instrumenti principium novae artis obstetriciae summo iure repetere possumus, nam quantumcunque perfectionis adhuc deerat, quantumcunque regularum usus instrumenti adhuc desiderabat, tamen ex momento, quo illud publicatum est, perpetuus in disciplina nostra progressus originem cepit nihilque pari gravitate communi rursus inventum est. Dum vero in Francogallia pars artis obstetriciae operativa magis magisque elaborabatur, Angli potius in via exspectativa accuratae observationis naturae progrediebantur, donec Germani commoda utriusque scholae paullo angustiores conciliare nitebantur. Finis autem huius orationis longe excederem, si processum artis obstetriciae modo leviter perlustrarem, quare mihi tantum res primarias breviter recensere liceat, ut postremo, quae medicis obstetriciis adhuc praestanda sint, paucis exponam.

Primo saeculi duodevicesimi dimidio in Francogallia maxime auctore Levret medici obstetricii imprimis in partem artis nostrae operativam, nominatim in usum et emendationem forcipis cetera fere negligentes incumbebant, dum in Anglia secundum auctores Smellie et Hunter partus mechanismus et ante omnia situs infantiles diligentius observabantur et explorabantur, qua ratione fortasse pariter angustiore factum est, ut pleraque viribus naturae permitterentur. Quomodo tamen haec quoque methodus cum auxilio operativo optime coniungi queat, aeque audace atque ingeniosa partus praematuri artificialis cogitatione declaratur, quam iam Denman illo tempore concepit et explanavit. Sane eadem altero demum dimidio saeculi duodevicesimi patrata est eamque posterius Germani utiliorem reddiderunt et divulgarunt, quod eis honori singulari vertendum. Tunc quidem ars obstetricia in Germania, si Francogalliam, Angliam, Hollandiam comparaveris, adhuc conditione misera utebatur. Adhuc enim potissimum ab obstetricibus ibi exercebatur partemque operativam soli chirurgi exsequebantur, quorum auxilium ferendum, semper modo in foetu confestim extrahendo constabat, quare tota ars obstetricia in plane mechanicam redacta erat. Itaque ea ibidem etiam adhuc diu pars chirurgiae manebat et tum demum, quum primum lechodochium anno 1751 Gottingae a Roederer conditum esset, status ille melior exstitit, quia nunc demum medicis et medicinae studiosis partus naturales observandi facultas data

erat, quod in lechodochiis Parisiensi, Londinensi, Eblanensi, alliis iam dudum fieri poterat. Mox illud institutum aliaque utilitatem maximam afferebant et, ut probemus, quantum experientiis medicorum obstetriciorum Francogallicorum et Anglicorum sapienter conciliatis ars obstetricia in Germania profecerit, nobis solum auctor doctrinae de pelvi angustiore Stein et dexteritate sua operativa clarissimus Osiander nominandi sunt. Videmus igitur altero dimidio saeculi praeteriti artem obstetriciam apud omnes gentes politiores a molestis chirurgiae vinculis liberatam et ubique locum disciplinae peculiaris obtinentem, ex qua pristinae operationes horribiles exterminatae erant, et quae singulis praeceptis ratione systematica elaboratis fundamentum tutum et dilucidum acceperat. Ubique in academiis munera doctorum artis obstetriciae condabantur, et lechodochia ad medicos et obstetrices erudiendos instituebantur. Iam artem obstetriciam ab initiis suis ad id tempus usque, quo disciplina plane peculiaris facta est, persecuti hoc loco subsistere possemus, quum res nobis proposita ad exitum adducta sit, sed aetatis recentioris perbrevem adhuc mentionem nobis facere liceat, ut cognoscamus, quae medicis obstetriciis nunc praestanda sint, qua data occasione aperiam, quomodo equidem munere meo honorificentissimo fungens illis postulatis pro viribus satisfacturus sim.

Quamvis ars obstetricia sub exitum saeculi praeteriti, ut modo explicuimus, incrementa caperet laetissima, tamen erat metuendum, ne via inita procedens omnino in conditionem opificii abiret. Post miserrimum statum vix praeteritum naturae rei plane consentaneum erat, quod pars huius disciplinae mechanica, cultura modorum operandi maximi aestumabatur, at modus excedebatur. Neque solum operationes, imprimis auctoritate clarissimi Osiander et partem Baudelocque Francogalli inducti, medici obstetricii omnino nimis frequentabant ibique suscipiebant, ubi iis plane non opus erat, verum etiam a naturae contemplatione prorsus recedebant, utpote gloriam suam in instrumentis artificialibus novisque methodis pro fictis difficultatibus inveniendis quaerentes. Quo in genere alii artis obstetriciae praeceptores alios superare laborabant seque hamulo quodam vel cochlea ad forcipem applicanda sibi monumentum aere perennius exigere opinabantur. Hanc quidem perversam agendi rationem studiumque rerum minutissimarum partim iam ipse Baudelocque et magis etiam Petrus

Camper Batavus et Saxtorph Hafniensis refutabant, naturae potius observationem praecipientes, sed praecipue exeunte saeculo duodevicesimo et ineunte undevicesimo Lucas Ioannes Boer Vindobonensis omni vi et scientiae suae et ingenii hanc viam perniciosam impugnabat atque artem obstetriciam ad accuratam naturae contemplationem theoreticam revocabat, quo praeclarissime meritus est. In Germania eius vestigia Wiegand et Naegele secuti sunt, cui alteri fundamentum nostrae scientiae, doctrinam de partus mechanismo prorsus excultam debemus, dum in Francogallia auscultatio obstetricia, quae non satis aestimanda est, primum exercebatur. Initio autem huius saeculi arti obstetriciae illud accidit mirabile, quod ei vindicatio in libertatem adhuc recentissima tempore brevissimo incommodum quam maximum parabat. Summus sane progressus nostrae disciplinae eo commovebatur, at in hoc probo et utili studio medici obstetricii longius processerant seque penitus separantes, nexum cum tota medicina, ut videbatur, postremo perdiderant. Itaque periculum imminebat, ne ars obstetricia in merum artificium mechanicum converteretur; aut de rebus longe latiore ratione physica tractandis in modum angustiorem disceptabatur. Huc sane res excellentes, quibus ipso huius saeculi principio ars nostra permultum elata est, non minus contulerunt quum vitia, ex quibus tunc medicina omnino laborabat. Quum enim in arte obstetricia pugna longa pugnata simplex naturae consideratio, ratio mechanica, forsitan ea quidem nimis mechanica technicaque, tandem superior evasisset, medicina in vastis praeceptis somniisque philosophiae naturalis sepulta iacebat, eique iam aeterna nebula superstitionis perplexae rursus offusa esse videbatur. Nostrum non est hic enarrare quam splendido modo medicina sub lumine litterarum physicarum, anatomiae et physiologiae ex hac calamitate fere phoenici non dissimilis emerserit; attamen illud silentio transire nequeo, diu artem obstetriciam medicinae altius escendenti non succedere visam esse, quippe quum illa seorsum staret et opificium fieri inciperet. Quum statum artis nostrae medici Vindobonenses et Pragenses primum emendare conabantur, cum ea magnos successus chemicos et physicos, inventa microscopica, explorationes physiologicas connectentes. Hic tamen nexus initio tantum externus erat, quoniam ad artem obstetriciam ea tantum adhibebantur, quae ad res respondentes pertinebant. Verumtamen

non satis est, capita quaedam histologiae, physiologiae, historiae evolutionis, anatomiae, cetera, quae ad disciplinam nostram momento magno esse possunt, in eam simpliciter transferre, sed multo est gravius, in praecepta obstetricia et in praxin huius disciplinae eas rationes introducere, ex quibus in illis litteris insignis locupletatio scientiae nostrae prodiit, ita ut eaedem methodi, quibus illic multum profecimus, etiam in res obstetricias perscrutandas transferantur. Cuius generis initium iamiam factum est, sed multa adhuc restant addenda. Vinculum gravissimum et maximum, quo nexus artis obstetriciae et medicinae recentioris restituatur, sicut adiumentum illius artis primarium ideoque praestantissimum eius augmentum novissimum gynaecologia exstitit. Doctrina de morbis mulierum usque ad postrema decennia perparum aut omnino non tractabatur, et quantum ea ad vitam valeat, non magis agnoscebatur et perspiciebatur, quam nexus eius cum arte obstetricia arctissimus. Haec autem sine gynaecologia non magis potest recte concipi et excoli, quam gynaecologia sine exacta artis obstetriciae cognitione proficere aut omnino tantummodo constare potest, id quod paucis mihi persequi liceat, quia hanc ipsam rem muneris mihi delati cardinem existimo.

Morbos mulierum generatim eos intelligimus, qui in organis genitalibus femineis reperiuntur. Nemini, nec vulgo dubium esse potest, quanto momento sint aegrotationes partium genitalium in ipsa femina. Apud feminam enim functiones organorum genitalium non tantum ampliores sunt quam apud marem, nec tantum apparatus multo plures ad eas adhibentur, sed nobilissimae proprietates muliebres cum his functionibus arctissime cohaerent. Felicitas innumerorum matrimoniorum, imo salus civitatum inde pendent, quod femina summum suum finem explens sub laboribus et doloribus pariat et infantulum pectori suo apprimens sensu omnium iucundissimo perfundatur. Non est, cur gravitatem gynaecologiae hic fusius comprobem, quae quidem nunquam ignorabatur, sed ultimis demum decenniis recte aestumari coepta est. Cuius rei causa per saecula haec fuit, quod nec anatomia nec physiologia organorum genitalium muliebrium satis nota erat, ut eorum aegrotationes recte cognosci, nedum sanari possent. Praeterea, quominus haec disciplina medica elaboraretur, diu naturalis pudicitia, decus mulieris pulcherrimum, prohibebat, donec increscente sensu morali intel-

lectum est, necessitate explorationis medicae pudorem apud homines bene moratos non laedi. Attamen accuratiore demum affectionum cognitione, quibus functiones partium genitalium feminearum implicantur, ars obstetricia rectum suum locum in medicina adepta est. Illam in momentis vitae genitalis muliebris gravissimis opitulari oportet, et quamquam iam dudum medici obstetricii sibi non solum foetum in lucem proferendum putabant, sed etiam graviditatem et puerperium sibi vindicabant, tamen graviditas, partus et puerperium nihil sunt aliud, nisi omnino organorum genitalium femineorum functiones, certo quodam modo excitatae. Summo igitur iure ars obstetricia nuperrime tantum pars quaedam gynaecologiae haberi coepta est. Quantumvis vero de utriusque loco mutuo disceptetur, hoc certo constat, alteram altera carere non posse, nec in tractatione theoretica, nec in traditione et praxi medica. Cognitio et cura morborum muliebrium respectu graviditatis, partus et puerperii non habito imperfecta et manca erit, neque magis hae res physiologicae cum commodo feminarum sine cognitione functionum partium genitalium muliebrium cum omnibus illarum turbationibus administrari queunt.

Ex hacce expositione fortasse iam nonnemini apparuit, qua ratione equidem munere meo honorificentissimo functurus sim, sed quo magis id patescat, pauca adhuc addere non supersedeam. Me medicinae studiosos pro viribus sic erudire oportebit, ut et scientia et praxi obstetricia locum huic aetati convenientem occupent et opem illam salutarem ferre possint, quae arti obstetriciae amplissima suppetit. Ad quod assequendum, ut mea quidem fert opinio, una dumtaxat via patet: dico exactam naturae observationem, quocirca meum erit prope lectos parturientium et puerperarum docere, quo quis modo ipse observare ipseque perscrutari possit. Non doctis orationibus, non specioso lusu hypothesium splendidarum animos tironum ad disciplinam meam applicabo, sed hi magna eius gravitate commoti studio assiduo ipsi iudicare et postremo ipsi agere discent. Tali modo mihi continget, ut medici evadant, qui non in eo supremam suam superbiam ponant, quod operationes curiose ex libris cognitas secundum praecepta auctorum exsequantur, aut ubique temere in verba magistri iurent: sed qui omnibus in casibus quamvis difficillimis propria meditatione et contemplatione adsueti ex suo ipsorum iudicio agere idque recte

agere poterunt. Quem scopum altiorem ut contingamus, totam artem obstetriciam ratione vere theoretica, quum semper coniunctam cum successibus litterarum naturalium et medicinae reliquae, tum mente nunquam praeoccupata, qua medicinae partes reliquae egregie promotae sunt, tractari necesse est. Tota igitur institutio potissimum e scholis clinicis pendet, quas quidem adire non debent, nisi qui traditionibus theoreticis ceterisque exercitationibus necessariis bene praeparati sunt, ut iam antea cognitum habeant, quibus de rebus in scholis clinicis agatur. In his ipsis exacta disquisitio mulierum gravidarum docenda est et primum quidem senarum, quod idem de observatione et partuum normalium per totum suum decursum et puerperii normalis valet. Omnino illud est artis obstetriciae proprium, quod in difficilibus rarisque partubus accurata decursus communis scientia magistra est optima. Propterea meum erit in scholis clinicis, ut iam res ipsae secum ferunt, ante omnia animos tironum ad ea, quae quotidie usu veniunt, convertere et eis etiam atque etiam explanandis non defetisci. Casus, qui dicuntur rari, primum in institutis minoribus nobis omnino minus offeruntur, et deinde ex illis minimum discimus. Cuius generis exemplis disserendis animos quidem excitare et tenere possumus, sed ita medici non fiunt sollertes. Qui partus et puerperii processus quotidianos cognitos habet, is etiam in difficilibus rarisque partubus recte agere poterit, dum vice versa commodum est perexiguum. Per se autem intelligitur, etiam anomalias et turbationes decursus partuum et puerperiorum vulgaris diligenter respiciendas esse, sed talia nobis non unice notabilia censere licet. Verumtamen ut illo modo clinicum stationarium singulis medicinae studiosis utile existat, complura instituenda sunt, quae per angustias nostri nosocomii vix instituere licet. Tanto magis gaudeo, quod tempore proximo nosocomium exstruetur fine suo dignissimum, simul quidem aegrotorum refugium atque artis medicae templum. Insuper, ut tirones in arte obstetricia amplius erudiantur, instituto opus est nondum, quod sciam equidem, hic conditum: dico policlinicum obstetricium. Tale institutum, a quo parturientibus pauperioribus opem domesticam petere licet, non modo ubique, ubi exstat, perquam salutare et beneficum esse praebuit, verum etiam disciplinam clinici stationarii in modum insignem supplet. Primum enim sic numerus partuum in conspectum medicinae

studiosorum venientium permultum augetur, quoniam vulgus, ex falsa quadam opinione praeiudicata, etiam nunc atque ubique nosocomia omnino plus minusve aversatur ac praesertim parturientes vel pauperrimae domicilium suum suosque cognatos aegerrime relinquunt, auxilium tamen domesticum animis gratissimis accipiunt. Tironibus vicissim hinc id commodi, quod in ipsa arte obstetricia maxime faciendum est, semper evenit, ut processus partuum et puerperii eo modo iisque in conditionibus externis iam conspiciant, ut posterius artem obstetriciam factitantes. Ibi omnibus nostris commoditatibus posthabitis in conditionibus saepenumero iniquissimis patientia exercenda, ibi parturientium et magis etiam cognatorum opinionibus praeiudicatis prudenter repugnandum; ibi operationem efflagitantibus, quod iis status parturientis periculosissimus esse videtur, omni illa securitate resistendum, quam accurata partus praesentis observatio praestat. Ad haec vero efficienda iudicio libero ac tuto opus est, quod tiro in ipsis illis conditionibus addiscere et comprobare potest. Ad partus tamen policlinicos administrandos per se putet eos solum medicinae studiosos adhibere posse, qui iam in clinico stationario facultatem necessariam ostenderint. Ceterum ut tale institutum et parturientibus et discentibus revera utile existat, medicus assistens utique requiritur. Iam bonum clinicum sollerti medico assistente, qui in eo habitans omnes res clinicas diligenter observet notetque et quovis tempore medicinae studiosos erudiat, vix carere potest, sed ad policlinicum regundum opera medici assistentis pernecessaria est. Praeceptor nequit simul ubique adesse, attamen nec parturientes nec medicinae studiosos sibimet ipsis permitti licet. Ipsum etiam munus medici assistentis eo utilissimum est, quod hic studiis absolutis quam accuratissime et suapte ingenio artem obstetriciam pertractare potest, quo fit, experientia copiosiore ornatus ad praxin medicam aggrediatur, aut sese ad docendum convertat, id quod in Germania persaepe usu venit. Idcirco fore spero, ut a Curatoribus huius academiae maxime Spectabilibus benevole adiutus illa instituta cum commodo academiae omninoque litterarum, sicuti ad salutem huius urbis publicam tempore procedente condere queam.

Quod porro ad gynaecologiam spectat, magnam eius gravitatem iam supra exposui. Itaque meum etiam erit, hanc disciplinam non tantum

ratione theoretica, sed etiam practica, praecipere. Quem ad finem non solum consultationes de pauperibus feminis aegrotis in nosocomio coram medicinae studiosis habebo, verum etiam tales aegrotas, quae operationem requirunt, aut longiorem desiderant observationem, nosocomio ipso recipiam, quo modo spero me magis magisque totam gynaecologiam medicinae studiosis patefacturum esse, etiamsi pudore mulierum necessarie respecto nobis multa inferantur impedimenta, quae sensim sensimque demum superari poterunt, quum cognitio magis percrebuerit, quantam exacta disquisitio localis atque cura eiusmodi prosint. Omnino de docendo solum nunc loquens clare edicam, nosocomium prae ceteris eum esse locum, ubi medico tironi discendum sit, medicum modo aegrotorum gratia adesse, neque vice versa aegrotos ipsius gratia. Nosocomium ante omnia seminarium praestantissimae humanitatis esse debet, qua carens medicina doctrina et ars est tristissima. Salus aegrorum semper locum teneat principem, necesse est et finis docendi supremus eo semper et plane spectare debet. Hae normae tanto sanctiores habendae sunt, quod medicus tiro in nosocomio plerumque pauperes tantum aegros tractat, neque satis tenere potest, unumquemque aegrotum miserum esse, pauperem vero aegrotum dupliciter miserum, omnemque nostram artem, nisi humanitate vere liberali exerceatur, leviculam esse atque nos hac mente etiam tum aliis hominibus magna praestare posse, quando dira necessitas artem nostram subsistere iubeat. Sed haec hactenus.

Nunc ad vos me converto, Curatores huius litterarum universitatis perillustres. Pauca illa, quae, quod mihi summo duco honori, cum nonnullis Vestrum partim coram, partim per litteras transegi, mihi satis ostenderunt, Vos commodo huius academiae insigniter prospicere semperque studio indefesso id agere, ut ad litteras studiosae iuventuti aditum patefaciatis. Si igitur me omnem meam scientiam omnemque ingenii facultatem in finem eundem insumturum esse hacce hora solenni religiosissime promitto, vobis promissum meum sanctissimum, tam acceptum fore, ut suo tempore studia mea huic almae musarum sedi dicata liberaliter sublevetis, non spero solum, sed confido etiam. Quid, quod Vobis, Viri amplissimi, auctoribus a Rege Clementissimo iam huc vocatus sum; Vobis ergo hunc locum per-

quam honorificum, Vobis munus mihi optatissimum debeo, pro qua excellentissima erga me collata benevolentia Vobis me eo gratiam optimam relaturum existimo, quod Vestrae voluntati convenienter cunctas meas vires in commodum huius academiae quacunque ratione impendam.

Quod enixe intendens Vos, Viri Illustrissimi, quos nunc collegas meos primum appello, mecum, ut scio certissime, plane consentientes habebo. Imo Vos mihi facem praeferetis et si forte initio, quae est humana imbecillitas, Vestrae contentioni non omnino respondeam, me, quaeso, consilio benigno prosequamini. Quod imprimis Vos collegae medici, Illustrissimi, decentissime rogaverim. Unumquemque Vestrum summopere reverens in ordinem Vestrum praeclarissimum ingredior. Faxit Deus Optimus Maximus, ut tali ordine sat dignus fiam, cuius quisque socius me scientia et experientia adeo superior est, ut ferme omnes mei praeceptores esse possint. Ac profecto ingratissimus dici haberique deberem, nisi hoc loco candide profiterer, Te, Illustrissime Donders, scriptis Tuis immortalibus dudum magistrum meum eximium exstitisse, antiquam mihi contigerit, ut Te ipsum adire raraeque Tuae liberalitatis particeps fieri possem.

Aeque Tu, Illustrissime van Goudoever, noli mihi impense petenti in ea disciplina docenda egregio Tua et consilio et auxilio deesse, in qua Tibi succedo, Tibi, inquam, recondita scientia et copiosa experientia ibi non regnanti, sed dominanti. Equidem maximopere contendam, ut illud fastigium, in quod Tu artem obstetriciam in hac litterarum universitate extulisti, semper obtineam. Praeter Vos vero, collegae Illustrissimi Donders et van Goudoever, etiam Vos collegae Illustrissimi Loncq et Koster, me per breve tempus nostri commercii tanto amore tantaque comitate amplexi estis, ut me peregre Vos adiisse paene prorsus oblitus sim. Pergatis, quaeso, eadem mente erga me affecti esse, per quam solam mihi sperare licet, me societate Vestra in labore communi haud indignum fore.

Postremo Vos, medicinae studiosi honoratissimi, ex animo intimo saluto. Pari, quod a Vobis omnibus peto, fiducia parique animi propensione me accipiatis, qua ego Vos complectar in modum amplissimum, quo facto opera mea successus laetissimos et prosperrimos habebit. Equidem Vobis eam viam munire assidue studebo, quam hominum saluti ac felicitati conducturi ingressi estis; equidem Vobiscum optima communicabo, quae mihi

comparavi et possideo, meam scientiam et experientiam. Aetate a Vobis nondum tam remotus sum, ut iam omne vestigium divini ardoris iuvenilis in me extinctum sit, quamobrem Vos a me in penetralia disciplinae mihi praecipiendae tanto facilius introductum iri spero. Illud tempus, quod in labore communi, consumemus, cum voluptate discendi transigamus, ut hinc subsidia ad studia ampliora et vitam medici practici crebro molestissimam apta petere possitis. Ad quem scopum contingendum mihi Vestra opus esse perpetua assiduitate et constante voluntate,, sane non ignoro, sed certo etiam scio, Vos illas virtutes mihi exhibituros esse, quia meum erga Vos studium nunquam refrigescet. Quod Vobis candide promittens simul etiam Vos rogatos volo, ut me benevole excusetis, quod non statim sermone vernaculo scholas habere potero. Ut ideo cuipiam specie externa peregrinus videar, tamen non nescio, vincula nostra arctissima et intima ea esse, quae communi litterarum studio nectantur, atque omnium virium nostrarum contentionem salutis humanae gratia terminos inter diversas nationes constitutos longe longeque superare.

SERIES LECTIONEM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

INDE AB EXACTIS FERIIS AESTIVIS ANNI CIↃIↃCCCLXVI USQUE AD FERIAS AESTIVAS ANNI CIↃIↃCCCLXVII

A PROFESSORIBUS ET LECTORIBUS HABENDARUM,

RECTORE

HENRICO CHRISTIANO MILLIES.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Logicam docebit C. G. OPZOOMER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora II, ad librum suum, cui titulus: *het wezen der kennis*, editum Amstelodami a bibliopola I. H. Gebhard, anno 1863.

Metaphysicam docebit C. G. OPZOOMER, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora I.

Historiam Philosophiae veteris explicabit C. G. OPZOOMER, die Lunae, hora II et III aliave commodiore.

Antiquitates Romanas exponet I. A. C. ROVERS, die Martis, hora X et I, diebus Mercurii et Iovis, hora X, die Veneris, hora IX.

Historiam Gentium enarrabit I. A. C. ROVERS, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora XI, die Veneris, hora X.

Historiographiam veterem tradet I. A. C. ROVERS, hora auditoribus commoda.

Literas Hebraicas docebit H. C. MILLIES, tum Grammatica explicanda, tum parte I libri Samuelis legenda, die Martis, hora XII, die Iovis et Veneris, hora I.

Literarum Arabicarum initia tradet H. C. MILLIES, diebus Mercurii et Saturni, hora XII.

Antiquitates Israëlitarum explicabit H. C. MILLIES, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora IX.

Locos selectos Scriptorum Arabicorum, Chaldaeorum et Syriacorum cum provectioribus leget H. C. MILLIES, die Mercurii, hora V.

Literarum Orientalium historiam enarrabit H. C. MILLIES, horis auditoribus commodis.

Rationem Linguae Patriae et Literarum Patriarum tradet G. G. BRILL, die Lunae, hora I, die Martis, hora II, die Saturni, hora XI.

Historiam Patriae enarrabit G. G. BRILL, die Lunae, hora X, die Martis, hora IX, die Mercurii, hora X.

Lectiones de Literis Graecis habebit H. VAN HERWERDEN, die Lunae, hora XII, die Mercurii, hora II, die Veneris, hora XI, interpretaturus *Oedipum Regem Sophoclis* et *Herodoti* atque *Homeri* locos selectos.

Literas Latinas docebit H. VAN HERWERDEN, die Lunae, hora XI, die Mercurii, hora I, die Iovis, hora XII, legendo *Ciceronis orationem pro S. Roscio Amerino* et *Horatii Odas* selectas.

Antiquitates Graecas tradet *Scholasque Paedagogicas* habebit H. VAN HERWERDEN, horis auditoribus commodis.

IN FACULTATE MEDICA.

Materiem medicam et praecipua *Therapiae generalis* capita exponet G. I. LONCQ, die Lunae, hora II, diebus Mercurii et Veneris, hora IX.

Pathologiam et *Therapiam specialem* tradet G. I. LONCQ, diebus Martis et Iovis, hora IX, die Veneris, hora VII vespertina.

Exercitationes clinicas in arte medica quotidie moderabitur G. I. LONCQ, hora XI, in Nosocomio Academico.

Physiologiam docebit F. C. DONDERS, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora X, die Martis, hora IX.

Histologiam exponet F. C. DONDERS, die Martis, hora XI, die Iovis, hora IX.

Experimentis et *indagationibus physiologicis* et *microscopicis* in Laboratorio physiologico quotidie praeerit F. C. DONDERS.

Ophthalmologiam docebit et *exercitationes clinicas in ophthalmiatria* moderabitur F. C. DONDERS, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora II, die Saturni, hora XI.

Theoriam artis chirurgicae tradet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora VIII.

Exercitationes polyclinicas in arte chirurgica, diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni, hora IX; *clinicas*, diebus Martis, Iovis et Saturni, hora X, moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, in Nosocomio Academico.

Operationibus chirurgicis, in cadavere instituendis, qualibet oblata occasione, praeerit L. C. VAN GOUDOEVER.

Deligandi exercitationes moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, die Saturni, hora VIII.

Artis obstetriciae theoriam exponet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora I; morbos mulierum et neonatorum, die Iovis, hora VIII.

Exercitationibus obstetriciis practicis praeerit L. C. VAN GOUDOEVER, die Lunae, hora I—II, die Veneris, hora I, et ad parturientium lectulos qualibet oblata occasione.

Anatomen tum *systematicam*, tum *topographicam* docebit G. KOSTER, diebus Lunae, Martis et Iovis, hora I, die Mercurii, hora X.

Pathologiam generalem docebit G. KOSTER, die Lunae, hora X, die Veneris, hora X et XI.

Medicinam forensem exponet G. KOSTER, diebus Lunae et Martis, hora II.

Exercitationes anatomicas practicas moderabitur G. KOSTER, quotidie hiberno tempore.

Sectionibus cadaverum praeerit G. KOSTER, qualibet oblata occasione.

Artem diagnosticam physicam tradet P. Q. BRONDGEEST, Medicinae Lector, diebus Mercurii et Veneris, hora VI dimidiata.

Artis diagnosticae propaedeuticam exponet P. Q. BRONDGEEST, diebus Mercurii et Veneris, hora I.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

Physicam experimentalem exponet R. VAN REES, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora I.

Mechanicam analyticam tradet R. VAN REES, diebus Lunae, Martis et Iovis, hora XI.

Chemiam anorganicam docebit G. I. MULDER, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XII.

Chemiam organicam generalem docebit G. I. MULDER, die Iovis, hora XII.

Historiam corporum organicorum tradet G. I. MULDER, die Veneris, hora XII.

Colloquia chemica habebit G. I. MULDER, die Saturni, hora X—XII.

Zoologiam exponet P. HARTING, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora XI, die Martis, hora X.

Anatomiam, *Physiologiam* et *Histologiam comparatam* tradet P. HARTING, diebus Martis et Iovis, hora II.

Exercitationibus zootomicis et *microscopicis* quotidie praeerit P. HARTING.

Meteorologiam et *Magnetismum terrestrem* docebit C. H. D. BUYS BALLOT, bis per dierum hebdomadem.

Algebram, *Stereometriam* et *Trigonometriam sphaericam* explicabit C. H. D. BUYS BALLOT, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora VIII.

Calculum differentialem et *integralem* in usum provectiorum exponet C. H. D. BUYS BALLOT, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX.

Elementa Matheseos et *Algebrae* docebit M. HOEK, diebus Lunae et Saturni, hora IX, diebus Mercurii et Iovis, hora VIII.

Calculum differentialem et *Geometriam analyticam* exponet M. HOEK, diebus Martis, Iovis et Veneris, hora IX.

Astronomiam popularem exponet M. HOEK, die Mercurii, hora IX, diebus Veneris et Saturni, hora X.

Astronomiam theoreticam tradet M. HOEK, diebus Martis et Iovis, hora X.

Astronomiam practicam tradet M. HOEK, die Veneris, hora XII et I.

Artis observandi exercitiis quotidie praeerit M. HOEK.

Botanicam generalem docebit F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae et Mercurii, hora X, die Martis, hora XI.

Physiologiam plantarum tradet F. A. G. MIQUEL, die Iovis, hora X.

Oeconomiam ruralem docere paratus est F. A. G. MIQUEL, horis auditoribus commodis.

Geologiam tradet F. A. G. MIQUEL, diebus Lunae et Mercurii, hora II.

Mineralogiae primas lineas exponet F. A. G. MIQUEL, die Lunae, hora III.

Chemiam practicam quotidie in Laboratorio chemico exponet E. MULDER, Prof. Extraord.

Chemiam analyticam docebit E. MULDER, die Martis, hora IX.

Chemiam toxicologicam tradet E. MULDER, die Veneris, hora IX.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Historiam librorum Novi Foederis sive *Introitum in Novum Foedus* tradet B. TER HAAR, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X.

Historiam Ecclesiae Christianae enarrabit B. TER HAAR, diebus Lunae et Martis, hora XI.

Historiam dogmatum exponet B. TER HAAR, die Iovis, hora X.

Ethicen Christianam docebit B. TER HAAR, diebus Mercurii et Iovis, hora XI.

Exercitationes oratorias moderabitur B. TER HAAR, horis et sibi et auditoribus commodis.

Encyclopaediam Theologiae Christianae exponere perget I. I. DOEDES, hora postea indicanda.

Doctrinam de Deo (*Theologiam naturalem*) exponere perget I. I. DOEDES, diebus Lunae et Martis, hora IX, Mercurii, hora II.

Criticen textus librorum N. F. tractabit I. I. DOEDES, die Mercurii, hora VIII.

Exegesin librorum Novi Foederis tradet I. I. DOEDES, cum *Iesu dicta* et *sermones* interpretando, tum *Paulinarum epistolarum argumentum* exponendo, diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora I.

Colloquia de rebus Theologicis et Ecclesiasticis habebit I. I. DOEDES, horis vespertinis et sibi et commilitonibus commodis.

Exercitationes catecheticas moderabitur I. I. DOEDES, die Veneris, hora III.

Theologiam biblicam Novi Foederis tractabit I. I. VAN OOSTERZEE, die Martis, hora XII.

Theologiae dogmaticae partem *materialem* exponere perget I. I. VAN OOSTERZEE, diebus Mercurii, hora IX, Iovis, hora VIII, et Veneris, hora IX.

Theologiam practicam tradet I. I. VAN OOSTERZEE, diebus Mercurii, hora XII, Iovis, hora IX, et Veneris, hora X.

Exegesin Veteris Foederis tradet H. C. MILLIES, interpretando *Iobi* librum, die Iovis, hora XII, die Veneris, hora XI.

Commilitonibus, *orationes sacras* habentibus, praesides aderunt, atque *publicis disputandi exercitationibus* praeesse parati sunt Theologiae Professores.

IN FACULTATE IURIDICA.

Disciplinae Iuris naturalis fata et *praecipua placita* tradet G. G. VREEDE, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora IX.

Ius publicum Batavum exponet, dein *Iurisdictionis administrativae*, quae dicitur, caussas selectas tractabit G. G. VREEDE, die Lunae, hora X, die Martis, hora VIII, die Mercurii, hora I.

Ius Gentium Europaeum tradet G. G. VREEDE, diebus Martis et Saturni, hora X.

Ius criminale docebit G. G. VREEDE, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII.

Codicem Quaestionum criminalium explicabit G. G. VREEDE, die Iovis, hora XI, die Veneris, hora I, die Saturni, hora VIII.

Ius Pandectarum enarrabit B. I. L. DE GEER, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris, hora XI.

Historiam Iuris Romani tradet B. I. L. DE GEER, diebus Lunae et Veneris, hora I, die Iovis, hora X.

Institutiones Iustiniani intrepretabitur B. I. L. DE GEER, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII.

Encyclopaediam Iuris exponet B. I. L. DE GEER, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora I.

Ius civile Nederlandicum docebit I. A. FRUIN, diebus Martis, Mercurii, Iovis, et Veneris hora IX.

Ius mercatorium et *maritimum* exponet I. A. FRUIN, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora X.

Legem Iudiciorum privatorum explicabit I. A. FRUIN, die Veneris, hora XII, die Saturni, hora XII et I.

Exercitiis forensibus praeerit I. A. FRUIN, hora deinde indicanda.

Oeconomiam politicam docebit O. VAN REES, die Lunae, hora XI, die Martis, hora X, die Mercurii, hora XI.

Eam *Statisticae* patriae partem, quae publicos reditus et sumtus spectat (*de Nederlandsche Staatsbegrooting*), explicabit O. VAN REES, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora XII.

Historiam Europae politicam enarrabit O. VAN REES, die Lunae, hora XII, diebus Martis et Iovis, hora I.

Publicis disputandi exercitiis praeesse parati sunt Iuris Professores.

I. H. HISGEN, Literarum Germanicarum Lector, diebus et horis postea indicandis, e *Literis Germanicis* tum Goethii tragoediam, quae *Faust* inscribitur, tum etiam aliorum scriptorum selecta carmina interpretabitur; *Literarum Germanicarum historiam* inprimis inde a saeculo XVIII exponet.

I. VENNING, Literarum Anglicarum Lector, *Literas Anglicas* docebit, hora auditoribus commoda.

M. A. E. ROBERTI, Literarum Francicarum Lector, *praecipuorum scriptorum saeculi XVII selecta opera* enarrabit, et *Literarum Francicarum historiam* saeculorum XVII et XVIII tractabit, diebus et horis auditoribus commodis.

Bibliotheca Academica diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, ab hora XI ad IV, feriarum autem tempore iisdem diebus, ab hora I ad III, unicuique patebit. Museum zoologicum, mineralogicum et botanicum, nec non Hortus Academicus quotidie patebunt.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

DIE XXXI M. DECEMBRIS A. CIƆIƆCCCLXVI.

In	Facultate	Phil. Theor. et Liter. Hum.	10.
〃	〃	Medica	58.
〃	〃	Mathes. et Phil. Natur.	55.
〃	〃	Theologica	174.
〃	〃	Iuridica	182.
			479.

Praeterea in Album Academicum nomina Studiosorum in Athenaeis studiis operam vacantium; relata sunt, eo tantum consilio, ut hic publice progressus probent et Doctores creentur, quorum

In	Facultate	Phil. Theor. et Liter. Hum.	2.
〃	〃	Medica	8.
〃	〃	Mathes. et Phil. Natur.	3.
〃	〃	Theologica	9.
〃	〃	Iuridica	14.
			36.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

A. D. XXVI M. MARTII A. CIↃIↃCCCLXVI AD D. XXVI M. MARTII A. CIↃIↃCCCLXVII.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

D. 25 Iunii. BERNARDUS ALBERTUS LASONDER, Grollensis, privatim defenso specimine exhibente: *Disquisitionis de linguae Paulinae idiomate Tom. I,* Phil. Theor. Magister, Lit. Hum. Doctor, *cum laude.*

D. 18 Octobris. ANTONIUS GERARDUS CORNELIUS DODT, Rheno-Traiectinus, privatim defenso specimine: *De Philopaemene eiusque in Achaeorum rempublicam meritis*, Phil. Theor. Magister, Lit. Hum. Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE MEDICA.

D. 26 Martii. HENRICUS GREVE, Zwollanus, publice defenso specimine, cui titulus: *Over gezwellen in het oog*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

D. 9 Maii. ANNE BERNARDUS IUSTUS LULOFS, Lugduno-Batavus, publice defenso specimine cui titulus: *Iets over projectielen en vreemde lichamen in wonden*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

D. 15 Iunii. CAROLUS FERDINANDUS GUSTAVUS VAN WOERDEN, Rheno-Traiectinus, Medicinae Doctor, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude.*

D. 26 Iunii. MATTHIAS VAN THIEL, Harlemensis, publice defenso specimine cui titulus: *Over de normale menstruatie der vrouw en de decidua menstrualis*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

D. 26 Iunii. IOHANNES IACOBUS GERARDUS MARTINUS VAN DIEREN, Gravensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *De ontsteking van den voorhoofdsboezem en de secundaire aandoening van het oog*; Medicinae Doctor, *magna cum laude*.

D. 28 Iunii. IOHANNES IACOBUS MAATS, e pago Schagerbrug, Medicinae Doctor, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude*.

D. 29 Iunii. PETRUS ADRIANUS VAN DER LAAN, Medicinae Doctor, e pago Spanbroek, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude*.

D. 30 Iunii. GUILIELMUS RIVE, Amstelodamensis, privatim defenso specimine cui titulus: *De sphygmograaf en de sphygmografische curve*, Medicinae Doctor, *magna cum laude*.

D. 21 Novembris. IOHANNES IACOMINUS CORNELIUS VAN WOERDEN, Rheno-Traiectinus, Medicinae Doctor, privatim defensis thesibus, Artis Obstetriciae Doctor.

Eodem die. CAROLUS FERDINANDUS GUSTAVUS VAN WOERDEN, Rheno-Traiectinus, Medicinae et Chirurgiae Doctor, privatim defensis thesibus, Artis Obstetriciae Doctor.

D. 3 Decembris. IANUS PETRUS KLOOS, Amstelodamensis, publice defenso specimine cui titulus: *De cholera onder het garnizoen te Utrecht*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

D. 16 Ianuarii. HERMANUS IOHANNES FRANCISCUS GIESBERS, e pago Heumen, Medicinae et Artis Obstetriciae Doctor, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *cum laude*.

D. 17 Ianuarii. CAROLUS SNELLEN, e page Zeist, Medicinae Doctor, privatim defensis thesibus, Chirurgiae Doctor, *magna cum laude*.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

D. 11 Maii. ALBERTUS BRESTER, Haganus, privatim defenso specimine cui titulus: *Electrolytische onderzoekingen*, Matheseos Magister, Philosophiae Naturalis Doctor, *magna cum laude*.

D. 27 Iunii. CAROLUS DIEDERICUS SCHÖNFELD, e pago Nitago, privatim defenso specimine cui titulus: *De omgekeerde kegelsneden*, Matheseos Magister, Philosophiae Naturalis Doctor, *magna cum laude.*

D. 28 Novembris. PETRUS DE BOER, e pago Holwerd, privatim defenso specimine, cui titulus: *De coniferis Archipelagi Indici*, Matheseos Magister, Philosophiae Naturalis Doctor, *cum laude.*

D. 8 Decembris. CAROLUS HENRICUS THIEBOUT, Zwollanus, privatim defenso specimine, cui titulus: *De waterstof in statu nascenti*, Matheseos Magister, Philosophiae Naturalis Doctor, *cum laude.*

D. 4 Februarii. FREDERICUS HENRICUS IULIUS, Rheno-Traiectinus, privatim defenso specimine, cui titulus: *Berekening van den loopbaan der Komeet* 1863, *VI*, Matheseos Magister, Philosophiae Naturalis Doctor, *magna cum laude.*

D. 20 Martii. RUDOLPHUS HERMANUS CHRISTIANUS CAROLUS SCHEFFER, e pago Spaarndam, privatim defenso specimine, cui titulus: *de Myrsinaceis Archipelagi Indici*, Matheseos Magister, Philosophiae Naturalis Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. 16 Aprilis. SAMUEL CRAMER, Medioburgensis, publice defenso specimine, cui titulus: *Zwingli's leer van het godsdienstig geloof*, Theologiae Doctor, *magna cum laude.*

D. 28 Maii. CHRISTOPHORUS MARTINUS VOS, Amstelodamensis, publice defenso specimine, cui titulus: *De leer der vier uitersten*, Theologiae Doctor, *magna cum laude.*

D. 19 Iunii. GERARDUS IACOBUS VAN DER FLIER, ex oppido Nijkerk, privatim defenso specimine, cui titulus: *Historisch kritisch onderzoek naar de echtheid van Rom. XV en XVI*, Theologiae Doctor, *magna cum laude.*

D. 25 Iunii. BERNARDUS ALBERTUS LASONDER, Grollensis, privatim defenso specimine, exhibent: *Disquisitionis de linguae Paulinae idiomate Tom. II*, Theologiae Doctor, *magna cum laude.*

IN FACULTATE IURIDICA.

D. 4 Maii. IOHANNES ARINUS HOFKES, ex urbe Almelo, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 16 Maii. ARNOLDUS GUILIELMUS VAN BEECK CALKOEN, Rheno-Traiectinus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 1 Iunii. HENRICUS VAN MAANEN, e pago Noordeloos, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. GUILIELMUS HENRICUS IOHANNES VAN HEEMSTRA, e pago Irnsum, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 6 Iunii. IACOBUS MAURITIUS VAN HALMAEL, Amstelodamensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 13 Iunii. GISBERTUS VAN TIENHOVEN, e pago de Werken, publice defenso specimine, cui titulus: *Beschouwingen over regtspersoonlijkheid*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 15 Iunii. GUILIELMUS VAN CITTERS, Haganus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 20 Iunii. ELISA CORNELIUS UNICO DE BALBIAN VAN DOORN, e pago Jutfaas, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 26 Iunii. CAROLUS THEODORUS VAN BOETZELAAR, e pago de Bilt, privatim defenso specimine, cui titulus: *Schets der handelingen van de Londensche Couferentie, ter vereffening der geschillen tusschen Nederland en Belgie*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 27 Iunii. DIDERICUS DE FEYFER, e pago Steenderen, privatim defenso specimine, cni titulus: *Verhandeling over den kindermoord*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

Eodem die. EDUARDUS GUILIELMUS VAN RAALTE, Amstelodamensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *Over de magt van den president van het Hof in Strafzaken, volgens het Fransche en Nederlandsche Regt*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 28 Iunii. FREDERICUS HENRICUS VAN NOTTEN, Amstelodamensis, publice defenso specimine, cui titulus: *De eerste kamer in het licht der geschiedenis*, Iur. Rom et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 29 Iunii. ALEXANDER CONSTANTINUS WESENHAGEN, Surinamensis, privatim defenso specimine, cui titulus: *De gehuwde vrouw in strafzaken*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 30 Iunii. ADRIANUS IONATHAN BETHAAN MACARÉ, Medioburgensis, publice defenso specimine, cui titulus: *De leer der Assignatiën. Eerste gedeelte*, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 2 Octobris. IACOBUS GUILIELMUS VAN DER BIESEN, Amstelodamensis, publice defenso specimine, cui titulus: *Beschouwing over artikel* 2014, *Burgerl. Wetb.*, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 23 Novembris. IOANNES ROËLL, Harlemensis, publice defenso specimine, cui titulus: *Onderzoek naar het bestuur van den waterstaat in Nederland*, 1795—1848, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *magna cum laude.*

D. 11 Decembris. THEODORUS IACOBUS VAN EVERDINGEN, Tielensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

Eodem die. GUSTAVUS GUILIELMUS MOLLERUS, e pago 't Zand, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 18 Decembris. CAROLUS ANNE VAN DER LEEUW, Amisfurtensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 21 Decembris. ARNOLDUS DE IONG, Rheno-Traiectinus, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 22 Decembris. IOHANNES DOORNIK, natus in freto Caletano, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 12 Februarii. FREDERICUS IOSEPHUS MARIA ANTON BEEKERS, Amstelodamensis, publice defenso specimine, cui titulus: *Het accoord, volgens het Nederlandsch Regt*, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 13 Februarii. HENRICUS DEUTZ, Amstelodamensis, publice defenso specimine, cui titulus: *Beschouwingen over art.* 1919 *Burgerl. Wetb.*, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 15 Februarii. GUILIELMUS RYNHARDUS VAN LYNDEN, Noviomagensis, privatim defensis thesibus, Iur. Rom. et Hod. Doctor, *cum laude.*

D. 19 Februarii. THEODORUS SCHIFF, Arnhemiensis, publice defenso specimine, cui titulus: *De strafbepalingen in de Nederl. Spoorwegwet*, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 20 Februarii. IANUS GUILIELMUS HENRICUS DE MOULIN, Bredanus, publice defenso specimine, cui titulus: *Iets over artikel* 18 *der wet van* 29 Juni 1854, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

D. 25 Martii. CHRISTIANUS SCHEMERING REELFS, ex urbe Paramaribo, publice defenso specimine, cui titulus: *Het Surinaamsche Regerings-reglement van* 1865, Iur. Rom. et Hod. Doctor.

ACADEMIA

GRONINGANA.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

INDE A D. XI OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXVI AD D. X OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXVII

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

IANUS GUILIELMUS ERMERINS.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

GUILIELMUS ADRIANUS ENSCHEDÉ.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

H. C. VAN HALL.
I. G. ERMERINS.
N. MULDER (rude donatus, obiit d. 4 Maii 1867).
G. A. ENSCHEDÉ.
P. I. VAN KERCKHOFF.
M. SALVERDA (munus auspicatus d. 6 Dec. 1866).

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. HOFSTEDE DE GROOT.
L. G. PAREAU (obiit d. 26 Oct. 1866).
G. MUURLING.
E. I. DIEST LORGION.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. I. P. VALETON.
G. HECKER.
C. M. FRANCKEN.
B. H. C. K. VAN DER WIJCK.
H. E. MOLTZER.

IN FACULTATE IURIDICA.

I. H. PHILIPSE (rude donatus m. Februario 1867).
B. I. GRATAMA.
G. DIEPHUIS.
B. D. H. TELLEGEN.
W. MODDERMAN (munus auspicatus d. 6 Iunii 1867).

IN FACULTATE MEDICA.

I. BAART DE LA FAILLE (rude donatus, obiit d. 19 Maii 1867).
F. Z. ERMERINS.
I. H. IANSEN.
I. VAN DEEN.
S. S. ROSENSTEIN.
T. HALBERTSMA.

IANI GUILIELMI ERMERINS

ORATIO

QUA COLLEGARUM, PROXIMO ANNO DEFUNCTORUM

LUDOVICI GERLACHI PAREAU,

NICOLAI MULDER,

IACOBI BAART DE LA FAILLE,

MEMORIAM RECOLUIT,

HABITA

D. X OCTOBRIS CIƆIƆCCCLXVII,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM SOLEMNI RITU DEPONERET.

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES, PROFESSORES, CIVES, QUOTQUOT AD SOLEMNIA CELEBRANDA CONVENISTIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Quum solemnis hic anni mei dies appropinquaret, quo magistratum academicum depositurus ad Vos verba facerem, orationis argumentum elegeram, ex naturae quam profiteor doctrina petitum, quod uti a populari tractatione haud alienum arbitrabar, ita perdignum mihi videbatur in quo explicando coram hac doctorum corona virium periculum facerem. Quum vero in colligenda disponendaque eius materia aliquamdiu versor, ecce in ea incidimus Academiae nostrae tempora acerba et luctuosa, quae utrum plus detrimenti intulerint civitati literatae, an iusti doloris inusserint collegis ex optimorum virorum morte, haud facile dixeris. Atque ea quidem res ad omnes pertinet qui Academiae Groninganae bene cupiunt, in me tamen ex hoc communi doloris fonte inprimis in hunc diem quasi proximum confluxisse curarum atque sollicitudinum vim non est quod diffitear. Publicam quippe Rectoris personam gerens, intelligebam iure quodam vestro Vos a me postulaturos, non ut in amoenis doctrinae meae hortulis vobiscum exspatiarer, verum animos revocarem ad temporis acti, quae recenti omnium memoriae inhaerent insignes, quas Academia nostra experta est calamitates, ne ingrati in defunctos, eorum merita ac laudes in oblivionem misisse arguamur. Accedebat legis, impiam istam taciturnitatem prohibentis auctoritas. Quare cum persuasum esset illa praecipue referentem, si vel breviter in alio argumento commoratus essem, horas ad dicendum concedi solitas me longe multumque superaturum, consilium mihi mutandum esse existimavi, ab incepto itinere desistendum, et velis contractis alio mihi cursum esse dirigendum. Itaque comprimam me, et tristi necessitate coactus, me ad necessaria huius diei munerisque officia revocabo.

Ne vel sic tamen existimetis A.A.! mihi leve impositum esse onus. Nam dicendum mihi est de triumviris, qui de Academia nostra, de doctrinarum studiis, atque universa societate optime meruerunt; quorum mortem, etsi ad provectam aetatem pervenerint, plurimi lugent. De his mihi dicendum est coram propinquis. amicis, collegis, discipulis: ita vero dicendum, ut virorum praestantissimorum, quae menti adhuc plurimorum inhaeret, imago ob oculos auditorum sistatur, et quasi reviviscat; ut ea afferam, quae commemoranda esse illi puteut, et contra silentio premam, quae huius loci et sermonis non esse videantur; verbo, ut more maiorum eos celebrasse, iisque rite parentasse dicar. Neque minorem mihi curam attulit orationis forma et stili grata quaedam varietas, qua praecipue dicam an unice huiusmodi sermones commendari solent.

Quid vero addam de moerore et tristitia, quae oratoris mentem occupant totam et paene confundunt. Collegae aestumatissimi, quorum vitam moresque recolere oportet, mihi fuerunt carissimi; eorum familiaritate et amicitia per longam annorum seriem frui mihi contigit. Cum Muldero vel a prima inde iuventute, per quinquaginta annos intimo amicitiae vinculo iunctus vixi; primum Leidae, deinde Franequerae, tandem hîc Groningae. Numerum sic crevisse video aequalium meorum, qui paucis admodum superstitibus, eo abierunt quo equidem fortasse brevi eos sequar. Num miremini AA.HH. me, vultu parum hilari animoque in seriora converso, ad Vos prodiisse, cum tristia huius diei solemnia in memoriam mihi revocent carissima illa capita, quibus a latere meo divulsis vitae quam in terris degimus iucunditates fere evanuerunt, cognatos, uxorem, affines, amicos, quorum mortem nunquam lugere desinam. — Sed finis sit querimoniarum, neque instantis senectutis fortunam recusare velim, aut accusare. Qui ad septuagesimum fere aetatis annum pervenit, non hac conditione se natum esse arbitretur, ut quibuscum vitae cursum inchoaverit, quive Divinitus ipsi accesserint vitae comites et fidissimi sodales, eosdem ad metam usque secum habeat et salvos adspiciat. Omnium versatur urna serius ocius sors exitura. Sortem vero humanam moderari scio et administrare Deum O. M., cuius sapienti arbitrio quidem meam meorumque salutem placide submittam: quidni benignitatem eius et gratiam ex intimo pectore laudem, qui tot et tanta mihi reliquerit bona? Dum aequales

fere omnes amisi, iuniores mihi supersunt, qui tanta me benivolentia et caritate prosequuntur, ut vitam amici instante senectute exhilarent, quos indulgentia atque amicitiae officiis id agere dixerim, ut obliviscar, me ad provectiorem pervenisse aetatem.

Ad hanc tamen et vitae adeo finem uti non invitus accedo, ita mè re vera appropinquare admonet cogitatio, quod vixdum huius Academiae regimine in successorem translato, post brevem aliquot mensium decursum, mihi ipsi munus erit deponendum, quod per duos et quadraginta annos pro virili, utinam probabiliter, administrare conatus sum. Sed reprimam me; non enim est, ut hîc animi mei sensum aperiam; aliorum intueri oportet vitam ac mores. Itaque proximum est, ut ad Paravii vitam delineandum accedamus.

Ludovicus Gerlachus Pareau natus est die 10 Augusti anni 1800, Daventriae, ubi pater eius, Iohannes Henricus Pareau, id temporis munere fungebatur Professoris Linguarum Orientalium; sacri item codicis interpres erat in Coetu Wallonico. Qui cum anno huius seculi quarto eandem vitae stationem commutasset cum Academia Harderovicena, tandem earundem maxime disciplinarum tradendarum causa Ultraiectum vocatus est. Hîc vero anno 1833 diem supremum obiit.

Noster igitur Paravius anno aetatis decimo cum parentibus Ultraiectum venit. Ibi cursu in celebri Gymnasio absoluto, anno 1816 albo civium academicorum inscriptus est, studiis Theologiae destinatus. Per decem annos civis Academiae Traiectinae fuit, et laurea doctorali ornatus est die 29 Septembris anni 1826. Anno proxime insequenti V. D. M. munus suscepit in pago Neerlangbroek; ubi matrimonium iniit cum virgine honestissima Cornelia Catharina Susanna van Staveren, quae cum duobus liberis adhuc superstitibus optimi mariti mortem iam luget. Ad obeunda et vero ornanda eadem officia deinde in pagum Vorburg discessit. Tandem Groningam vocatus, Professoris in Ordine Theologico munus suscepit habita oratio ne inaugurali, die 16 Novembris anni 1831. Per 35 annos hîc in Academiae ornamentum et civium academicorum commodum munere suo functus erat, cum die 26 Octobris anni praecedentis inopinata morte nobis eripitur.

En A. A.! quasi numeros, sive vitae a Paravio bene honesteque actae brevem conspectum. Multum vero abest, ut haec prima lineamenta nos doceant, qualem quantumque virum amiserimus. Imago quippe ob oculos versatur viri in paucis egregii, in Literis ac Theologia celeberrimi, cuius nomen, ut augurari licet, ad seram usque posteritatem propagabitur. Utinam eam digne referam, neque huic Academiae nostrae lumini ingenii culpa quicquam officiam.

Vel me tacente intelligitis, A. A.! me in congerendis iis quae de viro desideratissimo dicam, usum esse sermonibus quos collegae aestumatissimi de Groot et Muurling de Paravio habuerunt, quibus ex omnium sententia ipsos Paravii indolem et merita egregie et ex veritate expressisse constat. Neque id graviter molesteque feretis Viri amicissimi! quos honoris causa saluto, quod hac solemni opportunitate in celebranda amici nostri memoria praestare mihi visum sit, Vestra legere vestigia, iisque potissimum tutum insistere. Iis autem quaedam adiungere licuit ab aliis defuncti amicis mecum communicata: pauca praeterea ex mea cum viro eximio contracta consuetudine succurrunt. Quae quidem omnia veluti in compendium redigere conatus sum, ut certe, si in aliis deficiat, brevitatis laude commendetur oratio.

Per decem annos, ut vidimus, Paravius Academiae Traiectinae civis fuit. Vita autem academica inprimis respicienda est; nam haec praebet imaginem vitae universae: quare illa probe cognita et perspecta, facile intelligimus quis postea fuerit.

Academiae Traiectinae id temporis insignem exstitisse florem inter omnes constat; utpote quam multi in vario doctrinarum genere Professores celeberrimi ornarent. Quod ut pateat in memoriam revocare nobis sufficiet nomina eorum, quorum scholas frequentavit. — Primum patrem appello, Iohannem Henricum Pareau, tum vero Viros Clarissimos van Goudoever, van Heusde, Simons, Schröder, Heringa, Royaards patrem et filium, Bouman, Moll. — Quo modo vero horum virorum institutione usus est?

Quamquam egregiis mentis dotibus praeditus, non ea tamen erat ingenii celeritate ut, quae accepisset a praeceptoribus, tamquam satis intellecta mox sua faceret, eaque probaret. Maturitate ei opus erat in doctrinarum studiis, atque nimiam adeo festinationem semper aversatus est. Quo factum

(quod plerumque animadvertimus) ut accurate omnia perscrutaretur, neque in studiis subsisteret et pedem figeret, donec omnia rite intellexisset. Assiduitate igitur ac diligentia supplevit quod fortasse alacritate ei deesse nonnullis videretur.

Theologiae destinatus primum in Literas et Philosophiam incubuit, quae ipsi viam ad Theologiam pararent. Cum vero maxime ingenii cultum spectaret, etiam Mathesi se applicuit, neque altiores eius disciplinae partes aversatus est; semper autem his ita delectatus est, ut vel provectiori aetate saepius de Mathesi cum quadam animi oblectatione loqueretur.

Lectionibus omnibus diligens interfuit auditor; atque uno ore testantur eius commilitones, neminem audita accuratius adnotasse. Ita materiem sibi collegit ulterius elaborandam. Nam, ut superiora declarant, praeceptorum opinionibus non annuit, nisi eas ad iudicii sui lancem exactas, omnibusque veluti perpensis veras comperisset; neque se facilem praebebat ad assentiendum, quod a viris fide dignis aut rerum peritis eas acceperat, sed quoniam inita subductaque ratione veras esse intima mentis persuasione sentiret. Perspecta autem veritate eorum quae audiverat, aut in doctorum scriptis legerat, illa coniunxit et tamdiu pertractavit, donec ea susciperet ipse, et in succum ac sanguinem converteret. Aliorum igitur quae fuerant opiniones sic demum suas reddidit, sibique, ut medici dicere amant, assimilavit.

Ex hac autem veri investigandi religione intelligimus quare Paravius de sententia, quam semel sibi informasset, non facile discesserit. Universe quidem in iuvene miram animi constantiam animadvertebant sodales, et qualis in iuventute fuit, talem nos provectiori aetate ipsi cognovimus.

Paravius principem praeceptorem et ducem habuit patrem, virum accurata doctrina, studii ardore et labore indefesso conspicuum. Praeside et patre auspice, ut tunc temporis mos erat, scripsit et defendit specimen de Tograii Carmine; quod testibus idoneis iudicibus adolescentis peritiam in Literis Orientalibus abunde probavit.

Ex ceteris praeceptoribus duorum potissimum institutione usus est; Schröderi innuo et Heusdii scholas.

Schröderus initio Mathesin solam tradiderat, eiusqus lectionibus etiam de Mathesi sublimiori interfuit Paravius. Quum autem dein Philosophiae

quoque ei institutio mandaretur, Paravius etiam has Viri Clarissimi lectiones frequentavit, licet antea iam Huismannum et Rossynium de Philosophia audivisset. Psychologiae et Philosophiae morali inprimis operam navavit.

Schröderus, vir magna eruditione et ingenio philosopho conspicuus, cum Paravio colloquia saepe et privatas scholas habuit de argumentis philosophis, praesertim de Philosophia Kantiana. Hac ratione Philosophiae cognitione imbutus iuvenis, eam cum Literis humanioribus coniungere mox didicit ab Heusdio, e cuius institutione de Literis Graecis et Latinis atque de Historia uberrimos fructus percepit. Platonis quippe sublimia principia ab Heusdio ipsi tradita, et Platonis lectione illustrata, toto animo amplexus est, iisque superstruxit illa quae deinceps in quovis doctrinarum genere praestitit. Sic ingenium Paravii, natura sua philosophum, ab his viris cultum adolevit.

Ne tamen existimetis eum reliquarum doctrinarum studia levius tractasse. Hos praeceptores prae aliis memoravi, quia plurimum valuerunt ad excitandum in iuvene doctrinarum amorem, quo per omnem vitae cursum ad altiora semper incitaretur. Omnibus adeo disciplinis strenue se applicuit quae ad liberale Theologiae studium ducere possint, omnes eodem numero ac pretio habuit, per se quidem expetendas, sed et hoc nomine utiles quin et ipsi necessarias, quod ad ingenium acuendum excolendumque eas facere mature perspexerat, viamque patefacere, qua demum in aliarum doctrinarum recessus penetraret.

Ex iis quae hactenus memoravimus satis apparet, Paravium rectam in disciplinarum studio viam secutum esse. Maxima assiduitate sibi doctrinae copiam comparavit, et praestantissimorum praeceptorum methodum secutus est: optimorum adeo magistrorum optimus discipulus dicendus est. Hoc enim tenendum est; eum tantum germani discipuli nomen mereri qui praeceptoris *mentem* perspiciat, eaque utatur ipse tamquam sibi propria. Qui praeceptoris exemplum sequitur, non ut eum imitetur, sed ut optimam doctrinae virtutumque effigiem perpetuo intueatur, in huius demum vitam et mores ex magistri praeceptis vera redundabit fructuum ubertas. Hoc summum sit in praeceptore ut discipulos informet, qui suam ipsi habeant opinionem, neque in verba magistri iurent: discipuli vero ad eundem tendant finem. Ex Paravii autem vita plura afferre possem quibus

ad mentem praeceptorum ipsum se accommodasse probarem, multum vero abesse ut eos simiarum instar imitatum dixeris. Sic Heusdii principia facile agnovimus in iis quae de interiore coniunctione et communi adeo origine doctrinarum saepe referebat; et in Dissertatione inaugurali procul dubio principia deprehenduntur et veluti emicant exegetica Cl. Heringa; sed Paravium tamen audivimus et legimus, non vero eius praeceptores.

Hac ratione sola iam iuvenis eam adeptus est ingenii firmitatem, quae maturioris demum aetatis propria censetur, et haec demum illum ad summum in doctrinis fastigium perduxit Anno 1818, cum vix per biennium inter cives academicos eius nomen relatum esset, Commentationem scripsit ad quaestionem ab Ordine Literarum humaniorum Groningae propositam, de *Migrationibus Hebraeorum*, quam honorifica mentione dignam censeri, satis sibi honorificum ipse existimabat. Anno vero 1820 tam egregie respondit ad quaestionem Traiectinam instituta *Comparatione inter Vondelium et Tragicos Graecos*, ut summus ei honor tribueretur. Quibus haec Paravii commentatio, ut par est, tam mirifice placuit, vix opinati fuerant conscriptam esse a iuvene vixdum viginti annorum; tanta in auctore eminet tragicorum Graecorum et nostratium cognitio, stili elegantia et dictionis vere latinae bonitas. Adhibuit formam Dialogi; hanc vero a Ciceronis vel Erasmi Colloquiis non multum abesse iudicarunt harum rerum periti.

Studiis academicis peractis Dissertationem scripsit de *Epistolae prioris ad Corinthios Capite* 13, ubi de amore christiano agitur. Primum sibi sumserat Dissertationis argumentum: de amore fraterno secundum Euangelium; sed quum hoc argumentum nimis late patere comperisset, a proposito destitit. Dissertatio ab eo edita ad optima eius generis scripta refertur.

Quum defensa Dissertatione Theologiae Doctor creatus esset, eodem die Senatus Academicus Traiectinus, ad celebrandos eius in Literis progressus eum honoris causa titulo Literarum humaniorum Doctoris condecoravit.

Brevi post Urbi Traiectinae valedixit, ut in pago Neerlangbroek Concionatoris sacri et Pastoris euangelici munus obiret. Huius officia religiose explevit: id enim egit, ut in vitae commercio cum coetus sociis, in instituenda iuventute et in sermonibus se, quantum fieri posset, ad captum omnium accommodaret. Itaque hoc potissimum nomine dignum est quod afferatur integritatis documentum, quod oborto dubio si sibi ipsi in hac

re non satis confideret, alios expertiores sibi visos, consulere solitus erat, inprimis collegam, aetate ac prudentia provectiorem, cuius adeo experientiae iudicioque magis subacto, sermones quos habere in animo esset, aut iam habuisset, submitteret. Orationes autem ipsae plerisque valde placuerunt. Nam etsi externae quae dicitur eloquentiae dotibus non excelluerit Paravius, in concionatore tamen omnes facile agnoscebant virum de gravitate argumenti penitus sibi conscium atque unice auditorum salutem spectantem, neque suam existimationem, ne dicam inanem boni oratoris gloriam, sanctis illis officiis anteponentem. Has viri boni et probi virtutes nunquam non animadverterunt quicumque in coetibus Christianorum Paravium graviter verba facientem audiverunt.

Cum per tres fere annos in prima hac statione elaborasset, in pagum Vorburgum vocatus est ad idem illud Euangelii interpretandi munus. Vorburgenses tamen, quod vehementer doluerunt, non diu eo vitae magistro atque amico usi sunt. Quum enim in Academiae nostrae Ordine Theologico, mortuo V. Cl. A. Ypey, cathedra vacaret, Paravius brevi post Theologiae Professor huc vocatus est. Itaque in id meritis sibi paratum pervenit honoris fastigium, quo eum aliquando perventurum esse commilitones ab ineunte iam adolescentia augurati erant. Nec sine causa multos tantam de Paravio exspectationem tenuisse ex ante dictis facile constabit. Profecto, si quis alius, hic certe cathedram academicam ornaturus erat.

Orationem habuit inauguralem, *de animo non minus Theologorum quam ingenio academica institutione informando.* Si cui fortasse dubium videri potuisset, num, qui ad Academiam accederet Doctor, muneri ipsi imposito plene satisfacturus esset, nae is, audita hac Oratione, non tantum omne dubium ita seposuisset, ut virum integrum, doctum, probum eundemque vere amabilem venerari sponte et amare incepisset. Etenim descripto sublimi et sancto Theologi munere et commonstrata academica institutione qua ad illud perveniret, his verbis concludit: „Quales reddere discipulos volumus, tales necesse est ut simus ipsi, veri amore ardentes, boni sanctique amantes, vere liberales ingenioque et animo ad Divina intento."

Hoc sibi proposuerat vir eximius, cum munus suum inter nos auspicaretur; nos vero experientia 35 annorum edocti sumus, eum a proposita sibi via nunquam deflexisse; nam donec corporis vires patiebantur talem

se praestitit Doctorem, et tales informavit discipulos complures, quales in oratione descripserat.

Duas habuit Orationes cum magistratum academicum deponeret: priorem anno 1843 *de religionis christianae vi in doctrinis disciplinisque humanis*, alteram anno 1858, *de perfectionis christianae in antiqua philosophia praesensionibus et desideriis.*

Compendia edidit *de Hermeneutica Codicis sacri et Theologia morali*, atque cum Collega suo de Groot, *de Dogmatica et Apologetica christiana* et *de Encyclopaedia Theologi christiani*, quibus uterque in lectionibus suis disserendi fundamento uteretur. Mirum quantum inter hos disciplinae Theologicae Doctores fuit opinionum sententiarumque consensus; quod profecto eorum discipulis ad studiorum fructum non potuit non admodum prodesse. Hi enim a praeceptoribus non ad diversa vocati et veluti distracti, sed recta via ad certiora, quae iis plurimum arridebant, doctrinae studiorumque placita adducebantur. Quicumque porro merita Paravii in Theologia ex eius scriptis numero quidem multis sed argumento tamen gravioribus cognoscere gestit, is meo praeconio atque indicio non indigebit; quid enim enumerare adtinet volumina a Theologis Groninganis edita, omnibus notissima, quibus continentur commentationes, quae deinceps a Paravio conscriptae sunt. De praestantia vero operum deque eius meritis in Theologiam universam praestat nihil quam pauca dicere: et vero quaenam quaeso mea sit in iis aestimandis auctoritas? Idonei iudices haec scripta praeclara pronunciant et Paravium de Theologia adeo meruisse censent, ut principibus aetatis nostrae Theologis iure meritoque adnumeretur. Cui quidem sententiae libens equidem adsentior; de cuius enim virtutibus, ingenii animique dotibus tam praeclara praedicari possunt, quarum splendorem quum nobis Paravii vita literata det intuendum, eum de numero praestantissimorum disciplinarum cultorum esse oportet. — Quid mirum eum a Rege ornatum fuisse ordine equestri Leonis Belgici, et plures Societates literatas eum socium adsumsisse! — Praeterea novimus omnes, eum fuisse virum probum et integrum, id unice spectantem ut officium, quod a Deo omnium rerum Moderatore sibi impositum persentiret, pro virili expleret; neque anxie quaereret utrum inter nos bene actorum comprobationem, an vero vituperatores sibi pararet iniquos.

Quemadmodum in studiis suis semper ipse perseverabat, donec argumentum quod tractaret satis ab omni parte ponderasset, sic etiam in instituenda iuventute academica nunquam cessabat, nisi omnia probe ab auditoribus intellecta esse animadvertisset. Denique in docendo methodo utebatur quae vulgo dicitur socratica, ut rogitando respondendoque auditorum sententiam de argumento proposito eliceret, sibique bene cognitam perspectamque comprobaret.

Ceterum vitam placidam domesticam cum uxore et liberis inter nos degit, doctrinarum studiis occupatus et quantum poterat amicorum discipulorumque commodis inserviens. Quid vero plura? Stabilem et ad senectutem perpetuam ei adprecabamur collegae, vitae multis tam fructuosae felicitatem, cum ante sex fere annos subito morbo affectae corporis vires animo quoque aegritudinem parerent, quae mentis quidem aciem non obtunderet prorsus, at ingenii tamen alacritatem et vigorem ita saepe impediret, ut partim tantum gravissimi muneris officiis sufficere sibi videretur. Ipse enim huius mali probe sibi conscius erat, at submisso tamen in Deum animo hanc tulit vitae calamitatem, qua haud scio an nulla gravior viro docto possit accidere; tulit fide vere christiana in Dei O. M. sapientia et caritate spem omnem et salutem reponens.

Sic igitur vere vixit, id est vitae suae munus explevit vir eximius, qualem Vobis in mentem revocare conatus sum. Iam animus, qui dum in corpore vivebat mortali, saepe ad excelsiora enitebatur, ad coelestia adspirabat, certo confidimus, e corporis vinculis evolavit in domus Patris aethereas, ubi adspirante Divino afflatu, Christo duce ad omnem quam adsequi licebit virtutis excellentiam informetur atque perveniat.

Ad Mulderi mei celebrandam memoriam cum pergo, in alia omnia se convertit oratio. Quod sane non in hanc sententiam accipietis A. A.! quasi me solum latuissent praeclarae ingenii animique dotes, quibus omnibus comprobantibus et vero suspicientibus vitam ipse suam vel maxime ornavit, quasi levior ex integerrimi amici, pectoris illius candidi meique amantissimi decessu in me redundasset calamitas! Vitam universam cogito vitaeque varias vicissitudines, eiusque praesidia et opportunitates ad suscitanda, alenda perficiendaque artium doctrinarumque studia. Quae a

pueritia inde Paravio arriserunt, iis orbatus Mulderus infaustam ne dicam infestam vitae sortem expertus est; quae studiorum impedimenta, nisi mens indita intrepida molem profligasset aerumnarum et superasset, nunquam sane ab aequalibus eas impetrasset praestantiae laudes, quas iure meritoque consecutum novimus.

Ex brevi vitae conspectu de his, nisi fallor, Vobis facile constabit.

Natus est Nicolaus Mulder Leovardiae, die 6 mensis Octobris, anni 1796. Pater eius Iohannes Mulder, Chirurgus dexterrimus et nullius non Medicinae partis peritissimus, eo tempore Leovardiae erat Lector Anatomiae, Chirurgiae et Artis obstetriciae, quo munere olim in urbibus quibusdam honorari meminimus viros de arte Medica bene meritos. Cum vero sequenti anno in Academia Franequerana Professor crearetur, eo migrans cum uxore, Nicolaum nostrum, vixdum anniculum secum tulit. Anno 1807 Mulderus Professor Anatomiae, Chirurgiae, Artis obstetriciae et Physiologiae in nostra Academia creatus est, hac autem provincia per triennium egregie administrata, die 18 Novembris anni 1810 Groningae diem supremum obiit. Itaque Mulderus noster a primo inde ad decimum aetatis annum Franequerae vixit, quod supererat pueritiae tempus exegit Groningae; hinc vero patre mortuo et amissa iam ante carissima matre Hyke Sophia Saagmans, Franequeram revocatus est puer quatuordecim annorum, utroque parente orbatus. Etenim propinquorum decreto Mulderi, fratrisque eius ac sororis, aetate ipsi paulo minorum, educatio permissa fuit affini Cornelio Ekama Viro Cl., Logicae Metaphysicae et Astronomiae Professori Franequerano, qui ibi cum matre sua ac sorore coelibem degebat vitam. Huius igitur domo receptus brevi post, i. e. mense Ianuario anni 1811 inter Academiae Franequeranae cives nomen dedit quindecim annos natus. Brevissima tamen fuit commoratio, nam cum anno 1812 tiranni iussu atque imperio perimeretur Franequerana literarum sedes, et Cl. Ekama Leidam abiret Professor Matheseos et Astronomiae, Mulderus quoque Leidam se contulit, atque albo civium academicorum inscriptus est, studio medicinae destinatus.

Per septem annos Academiae Leidensis civis lectionibus interfuit Virorum Cl. Medicinae Professorum, Oosterdyk, du Pui, Brugmans, Sandifort, Krauss et Ypey. Nondum ab initio curriculi Academici norma erat

descripta, qua Edictum regium 2 Augusti anni 1815 cursum studiorum ordinavit. Disciplinam quam nunc vocamus propaedeuticam nondum segregare visum erat ab ipsa Medicina. Quam ob rem Mulderus immunis disquisitione propaedeutica virium periculum facere non coactus est in doctrinis Mathematicis Physicis et Chemicis. Has tamen Mulderus, qua erat ingenii perspicacitate summo mox studio appetivit: lectiones potissimum de Botania, Chemia et Historia naturali frequentavit, iisque merifice delectatus est. Nec mirum; iis praefectus erat Brugmansius.

Medicinam tamen universam, quam cum illis coniunxit, non minore studio coluisse eum testantur cum commilitones et praeceptores omnes, qui optimis eum ordinis medicorum alumnis adnumerare solebant, tum vero maxime examina quibus ad finem properans peritiam minime vulgarem adeo probavit, ut si ex huius temporis instituto diiudicentur, summis laudibus comprobata fuissent.

Absoluto tandem curriculo Academico ad Doctoratum qui dicitur Medicinae consequendum conscripsit et publice defendit Dissertationem inauguralem *de functione hepatis in disquisitione anatomica illius visceris nixa.*

Hunc quem delineavi vitae iuvenilis cursum Muldero haud uno nomine infaustum exstitisse, parumque favisse studiis doctrinarum, non est quod longa oratione repetam. Ne enim dicam post patris obitum optimo illo duce caruisse, cuius exemplo et monitis ad bene instituendum et gnaviter persequendum iter incitaretur, praesertim ea aetate qua iam in puero emicuisse feruntur amoris scintillae, quo postea universam naturae amplitudinem amplexus est, quis, quaeso, rerum peritus, non sponte animadvertit, frequentem istam atque iteratam saepe locorum et magistrorum commutationem eius progressibus admodum nocere debuisse. Id vero inprimis pertinet ad Literarum humaniorum et doctrinarum classicarum quae dicuntur studia. Hisce leviter tinctum fuisse, et cum iis operam navaret, Mulderum nunquam delectatum esse, quid diffitear. Id fortasse nostris temporibus, multi non adeo curandum esse contenderent, neque medico futuro damnosum, utpote cui disciplinarum naturalium accurata cognitio sufficeret, et facile adeo carituro familiaritate cum veterum scriptis contracta. Sed Muldero adolescente neglecta hac institutione literaria, qua in scholis occupari solebant discipuli, optima, quin vel maxime necessaria

desiderabantur praesidia ad bene informandam iuventutem. Nempe linguarum addiscendarum ratio in his scholis non tantum hoc spectabat, ut discipuli latine loqui et scriptores latinos legere discerent; imo grammatices similiumque doctrinarum studia ad ingenii cultum adhibebantur utque in puerorum animis quasi instillarentur germana cuiuslibet accuratae scientiae principia, utque iis monstraretur via, qua nixi, qui supra hominum vulgus sapere vellent, ad altiora procederent. Quis autem nescit, ceteras fere scholas aut defuisse prorsus aut minore loco ac pretio fuisse habitas.

Sed ad commilitonem in vitae academicae stadiis revertar. Etsi igitur, ut vere dicam, vel maxime dolendum arbitror, harum doctrinarum neglectum in amici mei scriptis ac sermonibus saepe nimis fuisse conspicuum, addere tamen iuvat Mulderum dum Leidae commoraretur, quae sibi deesse sentiret ipse, improbo labore atque ingenii celeritate adeo supplevisse, ut lectionibus latinis non tantum magno cum utilitatis fructu interesset, sed et probabilem in disputando Latinae linguae usum ostenderet, commilitonibus, quod bene memini, non multo inferiorem.

In vita ipsa academica tam Franequerana quam Leidensi si non in omnibus fortasse prospera studiorum fortuna aeque arriserit, multa tamen compensavit Brugmansii, quo praeceptore ac fautore usus est, summa praestantia.

Brugmansius auditorum suorum animos ad se trahebat mira quadam in disserendo perspicuitate, qua vel difficillimas quaestiones explicare et pertractare solebat. Incredibili mentis sagacitate vidit adhibuitque leges universales ac principia e quibus singularia naturae phaenomena interpretaretur, ad quae varias item et diversas corporum formas exigeret et quasi revocaret: contra quoque saepe in disputando a singularium rerum contemplatione ad universalia adscendens, utque ea quae naturae arcanis male initiatis alia atque longe inter se diversa videntur, ex iisdem naturae semper operantis legibus proficisci demonstraret, eaque inter se interiore necessitudine iungi, ut eâdem admirabili totius artificii compage omnia contineri viderentur. Vastos vero eruditionis, qua pollebat thesauros aperiens, et cogitata referens, tam gravi et ad persuasionem adposito sermone utebatur, veris eloquentiae luminibus ornato, ut vel in tardioribus ingeniis

ardorem studiorum excitaret, et plurimos ad disciplinarum suarum cultum traduceret. Quis igitur miretur iuvenem, qualem Mulderum fuisse novimus, totum scientiae naturalis amore incensum, hisce scholis adeo delectatum esse, ut nunquam earum fructum sibi intercidere pateretur. Brugmansius vero iuvenem assiduum et summa diligentia omnia ex ore docentis excipientem et adnotantem inter ceteros auditores animo vultuque intentum non potuit non animadvertere, quo factum ut doctorem inter et discipulum ea mox intercederet studii et benivolentiae necessitudo, quam sibi in omnem reliquam vitam fructuosissimam grato in praeceptorem animo semper praedicavit Mulderus. Et profecto ab hoc inde tempore Brugmansium ita suspexit, ut in oculis quasi gereret, et hoc solo fere uteretur exemplari ad quod vitam ipse suam et studiorum rationem conformaret, Brugmansius vero ipse quantum temporis sibi a laboribus, quibus implicabatur gravissimis vacuum relinqueretur, id lubens impenderet, ut Mulderum ope sua et consiliis adiuvaret et progredientem ad maiora impelleret. Dolendum vero Brugmansio tot ac tanta vitae munera fuisse imposita, ut viro vere eximio non nisi per lectiones, discipulorum commodis prodesse contigerit, quod Muldero quoque non nocere vix potuit. Itaque si Mulderum Brugmansii discipulum vocamus, hoc in hunc sensum accipiatur, quod se ipse ex principiis a Brugmansio propositis ad eius exemplum formaverat, similemque studiorum viam ac rationem ita inierat, ut eius imaginem ultro in se reciperet.

Ex Commentatione ad quaestionem ab Ordine disciplinarum Mathematicarum et Physicarum Leidensi propositam, qua quaerebatur *Catalogus plantarum quae prope Leidam in duarum horarum circuitu crescunt*, haud vulgaris Botaniae cognitio patuit. Magno labore ac diligentia plantas collegit, perquisivit et secundum systema Linnaeanum disposuit. Unicum hoc fuit opus, quod de systematica dispositione corporum naturalium conscripsit.

Dissertatio inauguralis conspectnm historicum continet eorum, quae de hepatis functione in variis animalium classibus tum cognita fuerunt et perspecta. In colligendis et diiudicandis diversorum scriptorum opinionibus, magnam industriam et accuratum iudicium luculenter probavit.

Medicinae Doctoris gradum consecutum rationes domesticae mox coëge-

runt in factitanda Medicina virium periculum facere; incertam adeo vitae fortunam experturus primum se contulit in pagum Frisiae Makkum, unde tamen, post matrimonium contractum, exactumque trium annorum spatium in pagum de Ioure profectus est. Hîc autem vitae tabernacula ponere in animo erat, et sua sorte admodum contentus vixerat, quum haud ita diu post in Athenaeo Franequerano Professor crearetur. Iterum igitur eo rediit, sed felicioribus iam auspiciis. Hoc enim semper ei in votis fuerat ut disciplinarum naturalium studio se totum dare posset.

Ex decreto regio ipsi mandatum fuit munus tradendae Botaniae, Chemiae et Artis pharmaceuticae: atque ex peculiari Athenaei Franequerani more institutionis, accedebant Lectiones de Pathologia et Materie medica. Quamvis tunc hae disciplinae nondum tam late patuerint quam hodie, opus tamen Muldero impositum unius hominis vires multum superavit. Quum autem, exiguo quippe constituto Professorum numero, ea res mutari non posset, Mulderus cedendum arbitratus est, sperans fore ut ne summa virium intentione in exantlando labore deficeret. Neque spem frustra suscepit; nam non tantum lectiones habuit omnes, cum hisce Medicinae partibus coniunctas, sed ne subsecivae quidem defuerunt horae, ut dubia, quae in tractandis argumentis lectionum oborta essent, ulterius explicaret. Hinc orta sunt scripta illa minora, quae fere omnia composuit dum Franequerae lectionibus habendis totus vacabat. Hac vero in re ita processit, ut paratis quae ad lectiones pertinerent, quotidie velut seponeret argumenti partem aliquam difficiliorem, in quo exactius perscrutando, ubi otiosus esset, versaretur, quodque experimentis adeo et observationibus, privatim factis illustraret. Nonnunquam absolvit quae sibi proposuerat; sed saepe nimia laboris varietate distractus, ab incepto desistere coactus est. Fere semper tamen annotavit quae invenerat, annotationesque servavit, ut iis data postea opportunitate uteretur, easque perficeret: nonnullas in diariis publici iuris fecit, alias separatim edidit.

Hunc eius morem tenentibus ratio nobis erit in promtu cur in hisce scriptiunculis ad diversa argumenta animum adplicuerit, neque in universa aliqua doctrinae parte elaboraverit. *Multa* agere debuit, nec *multum* suis numeris perficere ei licuit. Quamvis igitur lectiones quas Franequerae habuit, auditoribus (quod uno ore grati profitentur) insignem utilitatis

fructum adtulerint, ipsius Mulderi studiis fere noxiae dicendae sunt, certe haec virium divisio prohibuit ne scientiae prodesset.

Neque tamen haec scripta singularia, si ad amussim doctrinae exigantur, nemo non gravissima ac laude digna censuerit. Monographiam (quam vocant) pleraque exhibent, sive peculiaris naturae phaenomeni, ab auctore sollicite explorati atque ingeniose illustrati, descriptionem. In arctiori vero nexu deprehendendo cum aliis argumentis, in odorandis quasi ac detegendis naturae legibus generalioribus Mulderi sagacitatem cernimus, tum vero magnam viri eruditionem in exponendis celebrium naturae cultorum opinionibus admiramur, tandem et praeclaram investigandi methodum eandemque perseverantiae fructus testem locupletem.

Ab his scriptis probe distinguenda sunt illa, quae Mulderus vel sponte sua vel ab aliis rogatus concinnavit, ut naturae phaenomena etiam iis exponeret, quos huic studiorum generi multum operae impendere prohibebat vitae ratio. In his mentis alacritas et ingenii lumina maxime emicuerunt, in iis quippe vel maxime absconditas naturae leges mira simplicitate explicare solebat auditoribus et commonstrare. Quid memorem has publicas lectiones et scripta popularia omnibus mirifice placuisse: hisque laudibus incitatum Mulderum saepe plurimorum votis obtemperaturum cum auditorum insigni numero in immensis naturae campis exspatiatum esse. Quas tamen obambulationes etsi iucundas, nimium aliquando ei praeripuise temporis querebantur amici, bene quippe gnari, quantas ingenii vires ei natura dedisset, quantaque in eo vis inesset ad promovendam naturalium rerum scientiam.

Lectiones Franequerae iam inchoavit die 21 Maii 1822, sed mense demum Octobris eiusdem anni munus suum auspicatus est solemni habita oratione de *meritis Davidis Meese cum Botanicis tum aliis*.

Initio tempus a lectionibus vacuum studiis botanicis dedit, et varias observationes instituit, quarum plurimae in *Compendio botanico Richardi* leguntur: ita etiam quaedam edidit de *Solano tuberoso*, de *accrescentia nonnullorum florum et foliorum* et alia.

In usum eorum, qui lectiones Chemicas et Pharmaceuticas frequentabant, composuit *Introductionem in Chemiam*, opus duobus voluminibus, quam institutionis normam Franequerae in scholis publice habitis sequebatur.

Privata vero etiam institutione permultos pharmaceutas docere solebat. — Ad operam quam in Chemicis et Pharmaceuticis posuit, referendum quoque est, quod post mortem Viri Clarissimi Vosmaer huius *Lexicon Pharmaceuticum* continuavit.

Anatomen Comparatam semper in deliciis habuit, quare hanc Historiae Naturalis partem quantum posset non tantum Franequerae tractavit habendis lectionibus, sed ab indagationibus in eam privatis, dum ibi commorabatur, nunquum cessavit. Inter capita maxime dubia cum esse sciret Anatomen et Physiologiam Cetaceorum, ad haec inprimis animum advertere secum constituerat arrepta, ut diligentem naturae exploratorem decebat, singulari plane sibique propria in haec studia opportunitate. Contracta enim necessitudine cum mercatoribus vicinis Harlingensibus, iis maxime qui naves exercebant Harlinga quotannis in Groenlandiam emissas, facile ab iis impetravit, ut varia a nautis despectui habita organa Balaenarum aliorumque Mammalium, maria septentrionalia inhabitantium, in patriam afferri iuberent, ipsique integra adservari. Hoc igitur studiorum suorum pabulo ut mirifice se delectatum praedicare solebat, ita diligentissime usus est, et in dissecandis compluribus Balaenae, Delphinorum varii generis, uti et Phocarum marinarum organis incredibili labore id egit, ut accuratiorem cognitionem anatomicam viscerum habitus et structurae sibi compararet: plurima se invenisse etiamtum incognita quaeque ad quaestiones inter Historiae Naturalis cultores illustrandas facerent, Mulderum mihi ceterisque amicis enarrare bene memini. Sed proh dolor! ea publici iuris non fecit. Dum in iis colligendis et in ordinem redigendis occupatus erat, neque satis temporis huic operi impendere poterat, alii nisi prorsus eadem, similia certe observaverunt et cum eruditis communicaverunt. Unicum quod de Cetaceis edidit opus agit de *dentibus Monodontis*. In hoc autem complura memorat antea incognita.

Manuscriptorum copiam Mulderus reliquit de hoc argumento, sed valde hîc quoque dolendum, eum iis non adscripsisse tempus, quo anatomica haec pericula fecerit; alioquin facile constaret, quaenam eius inventa aliorum explorationes antecessissent. Id de nonnullis fidenter adseverare mihi licet, Mulderum plus semel animadvertisse, observationes, quae tamquam novae prodirent sibi iamdiu repertas ac probe cognitas fuisse. Neque

dubito quin in scriptis superstitibus harum rerum periti plura facile deprehenderent Virorum Doctorum attentione ac studiis perdigna.

Mense Iunio anni 1826 cum Athenaei Franequerani regimen successori traderet, habuit orationem *de emolumentis quae ex rerum creatarum copia et varietate scientiae naturali accesserunt, et etiam nunc accedunt.*

Quum per undeviginti annos Franequerae munere suo functus esset, in Academia Groningana, mortuo viro Cl. Sibrando Stratingh, cathedra vacavit. Curatores autem Mulderum dignissimum iudicarunt quem Stratinghio ad Chemiam tradendam darent successorem. Num honorificae vocationi obsecundaret, mentem plura in diversa trahebant; inter alia hoc potissimum placebat, quod nimia hactenus muneris amplitudine ac varietate obrutum uni in posterum disciplinarum naturalium parti totum se deberi cernebat. At quomodo se totum arti chemicae traderet qua adhuc minus delectatus fuerat, et in qua, quippe Botaniae et Historiae Naturalis amore captus, nequaquam satis elaborasse sibi videbatur? Omnibus tamen rite perpensis, cum tandem decrevisset satisfacere Virorum Amplissimorum bene ipsi cupientium votis, munus non recusavit, idque die 30 Iunii anni 1841 auspicatus est, habita oratione *de Chemiae usu in illustrandis vitae phaenomenis.*

Hoc fere tempore a Rege creatus est Ordinis Leonis Belgici Eques. Plurimis etiam Societatibus socius erat adscriptus.

Lectiones hîc habuit de singulis Chemiae capitibus, atque studiis chemicis nunc solum occupatus fuit.

Novam docendi provinciam pro viribus diligenter administravit ad annum usque 1853, quum Theodorus van Swinderen V. Cl. Historiae Naturalis hîc Professor diem supremum obiret. Defuncti partes haud ita multo post lubens in se transferri passus est. Nempe 12 quidem in hac vitae suae statione annos sorte sua contentus peregerat, neque laboris sui fructu in discipulorum progressibus caruerat: at vero oblatam sibi occasionem ad studium redeundi Historiae Naturalis, quo a parvulis inde adeo delectaretur, quo pacto quaeso non laetus arripuisset? Iuvenili igitur ardore (pervenerat autem ad aetatem septem et quinquaginta annorum) ad primos amores reversus, in naturae arcanis et miraculis investigandis reliquum vitae tempus consumsit. In lectionibus et privatis disquisitionibus more

suo progressum esse Mulderum memorasse nil attinet. Lectiones de Zoologia et Anatome comparata habuit. In lucubrationibus privatis maxime entomologiae operam navavit: vitae genus insectorum eorumque anatomiam potissimum spectavit. In anatomia insectorum, quam usque ad ultimum vitae tempus magna dexteritate instituit, testibus idoneis iudicibus, plurimos superavit et cum Lyoneto fere comparari potuit. De insectis quae dicuntur nocivis plura edidit cum prorsus animadvertenda tum laude intelligentium haud destituta.

Anno superiori die sexto Octobris, cum septuagesimum explevisset annum, publici muneris vacatio ei tributa est. Quietem, cuius fructum in studia privata redundaturum speravit, adhibere gestiebat ad prosequenda et repetenda quam plurima, quae variis de causis antea absolvere ei non contigerat. Quod vero in votis erat perficere, ei denegavit vitae qui instabat finis. Mente iuvenis corpore iam senex erat. Post brevissimum morbum die 4 Maii huius anni obiit, lugentibus altera uxore filioque unico et magno numero amicorum, ex quorum animis nunquam excidet viri desideratissimi memoria.

Me quidem, AA. Exopt. cum virum optimum recordor, quem 50 annorum constanti amicitia cognitum habui mihique familiarem, verba prope deficiunt, quibus animi eius praestantiam Vobis declarem.

Praeclaris ingenii dotibus ornatus, doctrinarumque amore mature captus, haec vitae eruditae quae vocare solemus praesidia incredibili laboris assiduitate ac perseverantia acuit et amplificavit. Quae virtutes, nisi in eo coniunctae exstitissent, neutiquam sane tot et tanta laude digna peregisset, quanta revera Mulderum peregisse novimus. Hinc sibi ipse quasi princeps studiorum dux et auctor esse potuit; hinc in lectionibus etiam et scriptis dilucido sermone vel maxime obscuras et latentes naturae leges explicare solebat, atque id efficere ut, principiis rite positis plerasque rerum formas ac naturae phaenomena tamquam illorum consectaria necessariosque veluti effectus atque sequelas ad vivum quasi depingeret; hinc inter maximas quas expertus est clades semper in disciplinis colendis eâdem diligentia animique fortitudine perseveravit. Hoc loco referre nolim, nec si cuperem mihi fortasse liceret, quam adversam saepe vitae sortem passus sit, ab eo inde tempore quo parentibus orbatus fuit usque ad aetatis terminos

quos in hac civitate inter nos vivens attigit. Hoc unum addere iuvat, laetum ipsi tandem vitae consortium cum uxore ac filio contigisse, in quam domesticam felicitatem seque et sua doctrinarum studia tamquam in portum reciperet. Quamvis vero ne ultima quidem vitae statio, quae septuagenario obtigit honorifica, sollicitudine et frustratione prorsus vacaret (quod familiaribus tantum atque amicis intimis significavit), neque hanc, nec superiores quas mortalium esse noverat aerumnas, animo tam debili et afflicto tulit ut dolori succumbere videretur. Res quippe sibi, non se rebus submittere Mulderum docuerat vitae difficilioris neque prono ut aiunt alveo fluentis experientia. Denique quod summum est, cum curriculi bene decursi conscientiâ solatium afferebat intimo pectori inhaerens persuasio, has sibi vitae partes non sine Numine fuisse impositas. Deum venerabatur; a religionis quidem simulatione atque omni ostentatione virtutis animus erat alienus, sed optimum sibi perfugium quaesivisse in Dei O. M. benivolentia et caritate saepe ex eius ore accepi, et facile credidi. Haec illi vitae sic demum vitalis initia, hic finis. Sanctam illam religionis fidem, nulla mortalium superbia debilitatam, nunquam ipse revocavit. Uti autem in naturae legibus, corporumque originibus, progressione ac structura, in huius universi admirabili concentu divina Auctoris ubivis intuebatur et suspiciebat vestigia, ita nunquam ex pectore excidit penitus insita persuasio, praestabiliorem hominum naturam ad praeclara quaevis educari, vitae, quam in terris degimus, sive prosperae sive adversae cursum moderante Dei sapientia et benignitate.

Satisne ergo doloris A. A. ex collegarum aestumatissimorum decessu percepimus? Cumulum accedere novistis, neque sic me tristia explevisse parentandi officia. Die enim 19 Iunii vir aeque praestans Iacobus Baart de la Faille morte nobis ereptus est. Quanto autem luctu dilectissimi viri obitus omnes perculerit civium ordines, dici vix potest. Neque enim soli lugebant, quibus Academiae nostrae res curae sunt, sed alii permulti et, ut vere dicam, universa civitas Groningana vicinaeque patriae regiones. Cum igitur communem istam cladem in huius funeris acerbitate intueremur, subiit quaerere, quae tandem nobis essent iustae lugendi rationes, et num in moerore omnium communi nobis praecipua esset doloris

ac desiderii causa. Academiae sane nostrae primas gravissimasque in eo partes tribuimus: haec Doctorem amisit qui institutione sua futuros informaret medicos, eundemque medicum expertissimum qui illos exemplo suo atque auctoritate anteiret longa vitae experientia; ceteri vero omnes *medicum* sibi ereptum esse dolebant morbos curantem et aegrotos singulari humanitate et prudentia sublevantem et consolantem. Haec tamen dubia, et si qua alia mentem in diversa traxerint, sustulit cogitatio vix aut ne vix quidem fieri potuisse, ut unius viri casu adeo commoverentur omnes, nisi illi inditae fuissent facultates eximiae et perfecti medici virtutes, quibus omnes aegrotos et laborantium lectos circumstantes ita semper in sui amorem raperet et fiduciam, ut ab omnibus dilectus omnium se amicum re et animo praestare videretur. — Difficile medici, quem practicum vocamus, munus est. Postquam complures vitae annos in comparanda sibi magna doctrinae copia consumsit, ad lectos aegrotantium accedens, morbum ibi curandum videt, sed simul ad aegrum ipsum attendat necesse est. Sunt enim qui haec a se invicem distinguere, et quasi avellere videantur: prorsus tamen inter se coniuncta, nisi potius eadem, sunt dicenda. Morbo opponit medicamenta sibi idonea visa: at quanta mentis intentione saepe opus est, ut primum morbi naturam et vim cognoscat, et deinde ea seligat quae inpraesentiarum morbi vim frangere, mox depellere et aegrum ad sanitatem revocare queant. Sed mens intus est. Et haec saepe morbosa medici cura indiget, neque medicamentis, sed dulci colloquio vultuque sanatur. Quis vero hîc regnasse nostrum de la Faille, et facile principem exstitisse negaverit? Plures recordabuntur virum amabilem lecto aegrotantium quiete, ut videbatur, adsidentem et vultu hilari, certe comiter rogantem et audientem. Aegrotantes iuxta et sani aeque confidebant; et tantam saepe vel sola eius praesentia afferebat auxilii fiduciam, ut aegri se prope a sanitate abesse putarent, et lecto adstantes laetissima spe erigerentur.

Praeclaram quidem hanc esse dotem fateor, verum ne primarias medici practici virtutes hac in re positas existimetis A. A.! Scio equidem ad hanc fere iudicii normam conformari vulgi opiniones, sed quis ex eorum numero, penes quos in re difficili suffragium, hominem probare posset, qui sive ad rem faciendam, sive ut omnium in se convertat oculos, pulcro hoc

morum subsidio abutatur tamquam paupertatis tegumento, neglectis longe gravioribus, quibus vera artis salutaris praestantia unice censeatur. Erronem dixeris an circulatorem, in magno non erit mihi discrimine; medici practici nomine indignum iudico. Quorsum vero haec in enarranda vita Viri vere praestabilis? Ut declarem scilicet, amicum nostrum non *sola* virtute, quam a natura quasi arripuerat, adeo excelluisse ut ingens sui desiderium relinqueret, sed ea potissimum usum esse ad ornandas et vero perficiendas boni medici, quas susceperat, partes graviores. Quis vero nostrum nescit amica hac humanitatis cum artis peritia consociatione optimum quoque discipulis praebuisse exemplum Clarissimum de la Faille?

De medico artem suam factitante eiusque praestantia ex vero pronunciare cum tantum sit virorum neque doctrina neque experientia atque longo rerum usu inferiorum, dolendum sane tam severa quin et iniqua saepius iudicia de medicis inter se in vulgus emanare. Sunt tamen quaedam in medico vitae opportunitates et quasi felicioris fortunae dona, ex quibus, si accesserit acumen ingenii ac studiorum ardor, artis medicae imperitis etiam augurari licet, ad quantam artis excellentiam pervenire potuerit, quantam revera adsecutus sit. Has igitur medici vere practici notas cum in viro desideratissimo facile deprehendamus, age in eius vitam ac merita oculos convertamus. Itaque pro virium mearum tenuitate Vobis probare conabor, virum inter aequales celeberrimum ingenii animique dotibus excelluisse, ad studia medica ab optimis praeceptoribus institutum esse, in medicina exercenda duces habuisse expertissimos; quibus tandem accessit haud vulgaris vitae laboriosissimae experientia.

Antequam tamen eo accedo, afferre iuvat aliorum, non dico auctoritatem, sed certe virtutum quibus excelluit comprobationem, quibus lubenter deferre solemus insignem iudicii partem.

In iis qui maxime de obitu viri praestantissimi doluerint eius discipulos fuisse novimus. Hi quavis data opportunitate dum vivebat non tantum frequenti benivolentiae et caritatis testimonio ipsum prosecuti sunt; sed ad unum quoque omnes praeceptorem suum in consilium vocarunt, quoties aegrotantis periculum deprehendere sibi videbantur; imo, cum ipsi graviori morbo afficerentur, eius unius opem implorare solebant. Neque id mirum! Quem toties oculo acerrimo atque exercitato morbos maxime difficiles ac

latentes dignoscentem et debellantem feliciter viderant, eiusdem adventantis prudentiam sibi salutem afferre existimabant. Si auctoritas in his quidquam valeat, certe ad fidem a talibus viris, ipsis medicinae sacerdotibus, carissimo quondam praeceptori habitam provocare nobis licebit.

Natus est Iacobus Baart de la Faille die 25 Iunii anni 1795, Patre Iacobo Baart de la Faille Professore Groningano, quem ob ingenii sollertiam et accuratam doctrinam maxime laudarunt. Mater erat Iohanna Aritia Adriani. Uterque parens magnam in educandis et instituendis liberis curam adhibuit. Ac primum quidem filium, optimae spei puerum in disciplinam tradiderunt Viri Doctissimi Iacobi Venhuisen Peerlkamp, ut linguarum veterum studiis erudiretur; cum vero eo pervenisset ut e lectionibus academicis utilitatis fructum percipere posset, inter Academiae huius cives receptus est, mense Iulio 1808, vixdum 13 annos natus. Ingenio licet felicissimo praeditum eum acceperimus, vix tamen credibile, lectiones academicas tam mature audivisse, nisi inter primos praeceptores patrem habuisset, Matheseos principia quoque docentem, ne dicam, eo tempore Academiarum et universae institutionis normam multum diversam ab hodierna fuisse. Per quatuor annos in disciplinas incubuit quae ei aditum ad Medicinam pararent, et lectionibus interfuit de linguis Graeca et Latina V. V. Cl. Ruardi, de Historia Cl. van Eerde, de Chemia et Botania, de Logica et Metaphysica, denique de Iure naturae Cl. Driessen, de Waal et Seerpii Gratama. In scholas medicorum non transiit ante scriptam atque publice defensam dissertationem, *in qua Hutchesonii germana sententia de sensu morali summatim et strictim explicatur.* Hac Disputatione A. L. M. et Phil. Doctoris titulum meruit et consecutus est.

In Disciplina Medica praeceptores et duces habuit V. V. Cl. Iohannem Mulder, Driessen, Stratingh, Bakker et Thomassen a Thuessink. Post mortem Mulderi etiam lectiones audivit clinicas Viri Doct. Wachter, Mulderi Discipuli, postea medici Hagani celeberrimi.

Medicinae universae sedulam navans operam, potissimum tamen se adplicuit ad Viros in arte medica celeberrimos Bakker et Thuessink. Hic inter principes aetatis suae medicos censebatur, non tantum in patria nostra, sed etiam apud exteros. Eius scripta bene multa ubique sparsa sunt et medicis cognita; nonnulla etiam in aliorum populorum linguas

translata. Praeclara vero huius viri institutione in Medicina practica ita usus est noster de la Faille, ut quod ex eius Oratione inaugurali abunde patet, quodque ipse sermone inter familiares saepe testatus est, Thuessinkium prae ceteris dilectum magni quoque aestimaret, atque ad eius exemplum medicinam, sola experientia duce nec systematum diversitate distractus, exercere secum decerneret. Quaenam vero Thuessinkii de discipulo fuerit sententia, vel exinde patet quod eo auctore tres annos antequam laurea doctorali ornaretur, medicus pauperibus curandis in hac urbe praefectus sit.

Gerbrandus Bakker Anatomen et Physiologiam docebat, atque huius quoque viri acutissimi egregia institutione incitatus in harum doctrinarum studia ita incubuit, ut egregios ex iis fructus perciperet ipse ac praeceptoribus suis probaret. Itaque cum Bakkerus sibi proponeret Physiologiam tractare disputatione publica inter auditores, nostrum de la Faille inter paucos dignum censuit, qui acuminis ac doctrinae bene partae publica ederet pericula. Quantum autem Bakkero debuerit, in cuius familiaritatem receptus erat, in oratione inaugurali et alibi saepe testatus est.

Per novem annos in Academia versatus est, quorum quinque se studio Medicinae totum consecravit, aliquando tamen in Academias quasdam Germaniae studiorum causa excurrens. Tandem mense Maio anni 1817 gradum Doctoris Medicinae, et paullo post Artis obstetriciae adeptus est. Dissertationem scripsit *de Asphyxia inprimis neonatorum.*

Utraque Dissertatio accuratam eius doctrinam probat et industriam plane singularem in colligendis iis quae ad argumentum facere animadvertisset. Praecipue autem Dissertatio medica memoranda est quam tractatum fere numeris suis absolutum dixeris de Asphyxia; qua scriptione universe opiniones de vita et praesertim de morte, eo tempore a viris doctis propositas exposuit, et qua signa diagnostica mortis omnia incerta esse, sola putredine excepta, probare studuit. Asphyxiae naturam et causas accurate contemplatur et ea tandem adhibet ad illustrandam *Asphyxiam neonatorum.*

Anno 1821 uxorem duxit virginem spectatissimam Iulianam Luciam van Wageningen, quae morte ei et liberis erepta fuit anno 1855.

Medicinam et Artem obstetriciam mox in hac urbe exercuit; atque patrono etiam usus avunculo Doctissimo Busch, iam brevi tempore ita artis

suae peritiam ac dexteritatem probavit, ut ingens aegrotorum et parturientium numerus eius opem et auxilium imploraret: utque ita vel paucis annis post primarius huius Urbis et Regionis Medicus civium suorum existimatione haberetur. Itaque cum Cl. P. Hendricksz hinc in Hollandiam migraret, Curatores huius Academiae eum prae aliis dignum iudicarunt qui cathedram ornaret iam vacantem. His rogantibus Rex augustissimus eum in Ordine Medicorum Professorem creavit ordinarium. Munus suum adiit die 21 Decembris anni 1832 habita oratione *de noxis quas recentiori praesertim tempore varia systemata medicinae fecerunt.*

Sub examen revocatis pluribus quae dicuntur systematibus quae et olim et potissimum nostra patrumque memoria a medicis excogitata fuerunt, concludit, illa etsi fortasse singula veri quid contineant, neque ab ingenuis adeo artis cultoribus negligenda sint, ad veram tamen Medicinae practicae progressionem fere nihil quicquam contulisse. Sola experientia medicum ducat, et liberale studium, quo scholae alicuius placitis sese totum dare recuset, neque adeo se solum theoreticum medicum dici amet, neque solum empirici nomine delectetur, sed theoriam cum praxi perpetuo coniungat.

Quale universum Medici munus animo sibi proponeret, his verbis in fine orationis significavit: „Non profecto Medicus vitae peractae rationem reddens, interrogabitur, quodnam in praxi secutus fuerit systema, et num illi manserit fidelis; verum num mirandas vires naturae illiusque productis insitas, in hominum salutem adhibuerit et direxerit, vel in proprii nominis honorem et emolumentum." In hisce verbis nostrum de la Faille agnoscimus.

Ad cathedram Medicinae practicae et Artis obstetriciae hac mente accessit, ductus iis principiis, et fretus experientia octodecim annorum, quibus incredibilem aegrotantium numerum viserat, nec sane remissius tractaverat, quantum vix ulli medico observare concessum sit. Exemplo igitur et praeceptis futuris medicis viam monstrare potuit, quam ipse per longum tempus neque infelici successu secutus erat; et quem fructum inde discipuli perceperint facile intelligimus omnes, et ipsi testantur. Hi de meritis viri acutissimi iudicent atque de institutione iuventutis academicae ad lectos aegrotantium! Iudicarunt et vero maxime collaudarunt, uti no-

vimus, omnes. Raro nubem pro Iunone amplexus, se decipi patiebatur imagine morbi, et fere semper statim perspicere solebat, quo curatio dirigenda, quomodo esset adhibenda. Veluti tactu quodam practico ducebatur: atque in curandis quibusdam ut typho et morbis chronicis pectoris, maximam laudem habuit et commendationem. Prophylactica iuventuti adhibita, plura mala postea forte oritura averruncavit. Arti obstetriciae cum theoreticae tum practicae plurimam operam navavit; eiusque peritiam in his aeque omnes comprobarunt.

Lectiones academicas habuit de Arte obstetricia theoretica et practica, de Therapia speciali, de Medicina forensi, et in nosocomio academico Clinicis exercitationibus quotidie vacabat.

Suscepto munere Professoris in animum quidem induxerat a praxi medica desistere; sed huic proposito plene obtemperare non potuit, undique quippe in eum impetus et medicorum et aegrotantium eius opem implorantium. Permultos proinde domi atque alibi visit aegros, quos ipse adiret, aut humanissime apud se reciperet; quam observandi experiendique frequentem opportunitatem, singulari plane erga pauperes liberalitate auctam semper adhibuit ad discipulorum commoda adiuvanda; quid igitur mirum eius docendi rationem omni exemplorum genere facile abundasse? In lectionibus autem et studiis nihilo segnius quotidie perrexit et si diei horae non sufficerent, noctis lucubratione quod deesset supplere adnitebatur. His omnibus vero ita occupatus fuit, ut nisi corpus ei fuisset firmum ac vigoris plenum, huius non minus debilitati quam mentis nimiae intentioni succubuisset. Haec autem quae de agili prorsus et laboriosa viri vita retulimus, qui secum reputat, quo quaeso iure postularet, ut nunquam quid humani passus esset, utque semper ipsi in promptu fuisset Medicinae in partibus theoreticis perpetua fere progressio? Ei sane hoc fateri praestitisset, et omnem iudicii iniquioris ansam praecipere.

Anno 1842 cum Magistratum academicum deponeret Orationem habuit, *qua disquiritur num generi humano maior vitae cultus sit causa perpetuo increscentis debilitatis et degenerationis, tam corporis quam mentis; an vero humanum genus per ipsum illum cultum hucusque progressum fuerit et in posterum ulterius sit progressurum.*

Pauca scripta minora edidit de Hygiene et Diaetetica, quorum nonnulla

omisso nomine in diariis. Neque hîc praetermittere licet ea quae scripsit de Politia medica et de iis quae ad Regem retulerunt viri Docti designati ut de institutione medica agerent. In hoc opusculo institutionem medicam in patria receptam et comprobatam strenue defendit ab adversariorum argumentis, et simul vera principia ac fundamenta exposuit, quibus liberale demum studium superstrui possit. Ad hoc vero studium, medico supra hominum vulgus erudito unice dignum, solas tendere Universitates scientiarum, viamque aperire Academiarum institutionem; contra vero admodum nocere scholas quas vocamus singulares, probare conatus est. Haec scriptio lectu dignissima est, utpote quae mentem arguit medici practici egregiam, omnibus doctrinarum quoque Theoreticarum cultoribus imitandam, quaeque sola ducere queat ad Medicinae praestantiam suo honore ac pretio aestimandam. Haec scriptio opportunitatem dedisse videtur ut anno 1848 a Rege designaretur, qui cum aliis viris doctis de legibus medicis et institutione medicorum ad se referret. Ordini Leonis Belgici adscriptus est anno 1841.

Dissertationes quoque a discipulis conscriptae observationes exhibent a Praeceptore cum iis communicatas, eaeque viri docti experientiam et in rebus medicis perspicacitatem clara in luce collocarunt. Plura sane afferre possem in defuncti Collegae laudem, sed ut finem imponam orationi temporis monent angustiae; et vel ipsa benevola, qua me hactenus dicentem audivistis patientia. Itaque prudens taceo eius merita in societates eruditorum diversissimi generis, quibus non tantum nomen suum dedit acceptum pariter et honorificum, sed quibus saepe scientiae multiplicis ac variae specimina impertivit. Quid vero coram huius urbis civibus de eius vita ac moribus ad humanitatem et benevolentiam, qua omnes complectebatur, plane compositis referam. Non in angulum haec conclusit vir omnibus gratus et acceptus, quem in media hominum luce vixisse scimus, et cuius imago omnium mentibus inhaeret, cuiusque memoriam ob eximia in se merita grato in defunctum animo cives maxime Groningani diutissime conservabunt.

Ne igitur quantum temporis ad bene de eo dicendum concessi mihi ademerit horae ruentis brevitas, tantum viri aestumatissimi virtutibus detraxisse videar! reliqua silentio praetermittere cogor; ut quae praeterea

muneris mei hodierni ratio postulat, quoad eius fieri possit, breviter enarrem.

Quod in vita hominum tristia plerumque laetis mixta sunt, et raro in luctum incidimus, quin plurima animum reficiant, id Academiae quoque nostrae hodie usu venire laetamur. Dum summo iure viros, quorum memoriam celebravi, nobis ereptos dolemus, grato tamen animo simul recordamur eos tamdiu eruditione sua et fructuosissima institutione nobis adfuisse, neque ante a nobis discessisse quam ad supremam fere aetatem pervenissent: et praeterea eorum locos iam occupatos esse videmus a viris hoc munere dignissimis. — Hoc Vobis debemus Viri Amplissimi Academiae Curatores! Honorificum sed et difficillimum Vobis munus mandatum esse novimus, neque enim externa tantum studiorum praesidia administranda, idque agendum ut quae adsint prudenter conserventur, et si fieri possit numero et praestantia crescant; verum et doctrinarum cultui consulendum Vobis est, atque institutioni iuventutis. Nec sane levissimae huius officii partes positae sunt in eligendis et huc invitandis viris cum docendi facultate tum eruditione quoque et scientarum amore conspicuis. Gratulamur Vobis de felici quem obtinuistis successu: gratiasque Vobis agimus de vestro in Academiam nostram studio.

Admodum vero dolemus Virum Amplissimum van Royen, — qui per plures annos sagacitate ingenii, consiliorumque prudentia, Vobis adfuit in Academiae rebus curandis, — graviori corporis affectione commotum esse, ut a Rege huius quoque muneris vacationem impetraret. Utinam quieta, quam sibi expetiit, atque ab omni cura et sollicitudine vacans rusticatio pristinam ei sanitatem restituat, atque senectutis quoque oblectamento sit laboris recordatio, quem in huius Academiae emolumentum impendisse eum grati reminiscimur.

Hîc autem est, quod denuo mentem nostram recreet. Nempe augustissimo Regi placuit in locum, quem Royenus vacuum reliquit, sufficere Nobilissimum van Heiden. Non opus esset ut, si hîc adfuisset, ei res nostras commendarem, nam arctissimum vinculum illum iungit cum Academia nostra, quam *suam* vocare ei licebit, quippe cuius civis ipse fuerit. Nulli igitur dubitamus, quin in excelso loco positus, quem ex Regis de-

creto in hac regione occupat, quantum in eo est benevolentiae erga nos, tantam etiam auctoritatem adhibiturus sit ad Academiae Groninganae commoda floremque adiuvanda. Diu cum Collegis, Viris amplissimis res nostras curet nobisque faveat.

Ad Professorum ordinem ubi me converto, nec hodie mihi deesse video laetandi causas. Et primum quidem te compello V. Cl. Diest Lorgion, cui tandem Professoris ordinarii munus decretum esse gaudemus. Hunc igitur omnium nomine ex animo tibi gratulor honorem, eruditioni tuae debitum. Te quidem eiusmodi stimulo non indigere ut religiose provinciam tibi mandatam administres, satis ipse probasti, at nobis visum, qui muneris officiis tanta cum laude fungeretur, eundem quoque in ampliore dignitatis gradu collocari oportere. Pergas igitur Vir amicissime! nobis esse, qualis diu fuisti, et multi adeo ex tua praeceptoris schola prodeant discipuli qui Academiae Groninganae nomini et tuo decori sint et ornamento.

Vobis quoque Viri praestantissimi! Salverda et Modderman, animo quidem ex amicorum desiderio non plane ad laetitiam composito, sed meo tamen et Collegarum nomine, impense gratulor, quod sedes in nostro ordine vacantes, auctoribus Viris amplissimis occupavistis, et felici iam augurio estis auspicati. Spes enim nobis laetissima affulget ex ingenii quod natura vobis indidit, sollertia studiorumque, quae iuvenile amore amplexi estis, comprobatione. Has igitur dotes in Academiae nostrae utilitates convertere si perrexeritis (certo enim confidimus) crescet quoque ac magis magisque celebrabitur Reipublicae literatae, quae Groningae floret, nomen atque existimatio. Felicem hîc Vobis Vestrisque vitam apprecamur.

Cum Viris aestumatissimis Rosenstein et van Kerckhoff, ut amicos Collegas decet, lugemus. Ille filiam sibi uxorique carissimam, hic socerum quem venerabatur amisit.

Dolemus etiam Clarissimum Halbertsma honorificae vocationi Ultraiectinae obsecutam esse. Breviori enim quam spes fuerat, at non tam brevi tempore nobis interfuit, quin in eo agnosceremus egregias mentis animique candidi dotes, quibus Collegis ceterisque Academiae civibus se valde commendaret.

Denique ad te me converto mi Philipse! Duo et quadraginta anni

praeterierunt, inde ab eo tempore quo, te Rectore, Franequerae munus meum adirem et a te salutarer; *nunc* mihi Rectori incumbit officium te compellandi, cum ad finem curriculi academici tui pervenisti, et otium tibi ob aetatem concessum est. Ne dies quidem mihi sufficeret, si verbis significare vellem, quae nunc animum meum commovent. Sed quorsum haec? Pro familiaritate quae inter nos per 50 annos fuit, meam erga te mentem nosti; quare nihil attinet de hac re publice dicere. Itaque missis iis, hoc unum agam, ut tibi omnium nomine gratuler otium tibi datum. Gratias tibi agimus quam maximas quod tanto ardore et animi intentione res nostras egeris et in Academiae et Civium academicorum salutem laborasti: tuum nomen Collegis et discipulis maximopere laudabitur, et memoria tui permanebit. Gaudemus te tanto adhuc esse mentis corporisque vigore, ut augurari liceat te, Deo favente, diu otio tuo fruiturum esse, ita ut sine interruptione studiis tuis dilectissimis te dare tibi liceat.

Ne tamen arctum quod te tamdiu cum Academia nostra iunxit vinculum dissolvas. Tuum exemplum, tua eruditio plurimis etiam nunc proderit. Quidquid mutetur, principia quibus tu semper doctrinarum studium superstruxisti perdurabunt. Utilitatis studium, ex disciplinis naturalibus, ut aiunt, oriundum, hodie quidem in omnibus dominari videtur: sed sunt adhuc, iique non pauci, qui liberali doctrinarum studio faveant, et disciplinas propter se ipsas excolendas esse putent. Itaque si qui forte hoc tempore in unam partem peccent, tempus veniet quo mens humana in alteram rursus se convertat. Tandem tamen ad rectam viam et veritatem redibit.

